

Dissertatio chemica medica de fontibus medicatis Alsatie ... / [François Antoine Guérin].

Contributors

Guérin, François Antoine.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Joannis Francisci Le Roux, [1769]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bwsrmqhu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

alsatia medicati fontes.

25947/p

74552j

Q. D. B. V.

D I S S E R T A T I O

CHEMICO - MEDICA

D E

FONTIBUS MEDICATIS

ALSATIÆ,

QUAM

NUMINE SUPREMO FAVENTE

EX CONSENSU

GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI,

DIE XXI. FEBRUARII A. R. S. M. DCC. LXIX.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI PROPONIT

FRANCISCUS ANTONIUS GUERIN, Argent.

A. A. L. L. & Philosoph. Magister.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Typis JOANNIS FRANCISCI LE ROUX Regis ac Urbis, nec non
Curiae Episcopalis Typographi.



HIPPOCRATES.

QUÆCUNQUE verò aquæ falsæ, & crudæ, ac duræ sunt, ad hoc quidem, ut eas omnes bibant, non bonæ sunt. Sunt tamen aliquæ naturæ, & morbi, quibus tales aquæ in potu commodæ sunt, de quibus statim dicam..... Non enim fieri potest, ut alia aqua similis sit alii; sed aliæ dulces sunt, aliæ falsæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt; ubi verò hæ simul inter se miscentur, dissident. *De Aër. Aqu. Loc. S. XIV. & XXI. T. I. p. 336. & 340. Edit. Lind.*

Balneum vero in multis morbis opem tulerit eo utentibus, ad aliquos quidem assiduè, ad aliquos non idem. Quandoque verò minus eo utendum est, propterea, quod homines ad hoc sint imparati. *De Viâ. Acut. S. XXXI. T. 2. p. 295. ejusd. edit.*



Dessiné et Gravé par Stridbeck à Strasbourg.

V I R O

I L L U S T R I S S I M O

A T Q U E

E X C E L L E N T I S S I M O

D O M I N O D O M I N O

F R A N C I S C O M A R I A E

D E G A Y O T

R E G I A S A N C T I O R I B U S C O N S I L I I S ,

A N T I Q U O A P U D A R G E N T O R A T E N S E S

P R Æ T O R I R E G I O ,

S U M M O

A P U D R E G I O S E X E R C I T U S

J U S T I T I Æ , Æ R A R I I , A T Q U E P O L I T I Æ

P R Æ F E C T O

PATRONO, MÆCENATI,

OMNI OBSERVANTIA DEVOTE

SUSCIPiendo ATQUE COLEND0,

UT GRATIAM PATRI IMPENSE EXHIBITAM

ET SIBI FILIO CONCILIARET,

UT SE, SUAQUE STUDIA DE MELIORI NOTA

COMMENDARET,

HOC STUDIORUM SUORUM SPECIMEN

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

FRANCISCUS ANTONIUS GUERIN.



PRÆFATIO.



ARDUUM omnino est, ei plenam referre gratiam, qui in unum aliquem, aut alterum beneficia contulit, multo difficilius utique obvenit, illius meritis, qui publicæ omnium utilitati adeò mirè, adeò benignè consulit, prospexit, par quidquam invenire, cogitare, vel respondere velle; & quum existimaverit veneranda antiquitas ei, qui hominibus prodesse constanter perseveret, non modò non referri aut agi, sed ne haberi quidem, aut excogitari saltem pares meritis gratias posse, ipsaque patria, cum HOMERO (1) & M. TULLIO (2) plusquam persuasus, nihil possit esse jucundius, dulcius, deceatque ipsam esse chariorem nobis, quam nosmetipsos. Felix, ter Felix Patria! Alfatia summis naturæ dotibus dives! Beneficiis adeò grata me quoque excitasti, ut pro facultate præcipuos & notiores salubrium tuarum aquarum fontes expanderem, celebrarem, me tibi gratum sisterem; utinam pro dignitate! Hoc verò munus eò lubentius in me suscepi cum

elapsis duobus ab hinc annis te quoque omnium creatorum fata subire, te non omni parte beatam vigere, te venenatas herbas, vix dixerim, invitè alere, te tandem plantis venenatis infeliciùs horrere discussim, publicè (3) sed ita defenderim, ut alumnis tuis ostenderem, quomodo sibi cavere, vel prospicere possint, si finem tuum forsam eludentes, vel casu decepti ex plantarum ordine aliquid noxii hauserint, & profectò facillimè, hæc tua producta meliori notione & usu data etiam salubria fore, demonstrare potuissim. Lætus igitur jura & merita tua hoc scripto defendam, evincam, quod provida, alma natura, quæ profectò nulla sui parte in te otiosa fuit, vario æque ac miro ordine, aëre saniori, levi, agitato, puro, terra fertili, pratis & agris, silvis & vineis, montibus & campis, rivis, fluviiis, stagnis, commercio, agricultura, & navigatione illustri, hominibus mentis perspicuitate, sagacitate, corporis robore, sanitate præstantibus, multorum generum animalibus, copia & utilitate variantibus, plantis ad cibos & medicinam, mercimonium & oeconomiam inservientibus, mineralium varietate, medicamina, divitias, usum exhibente te ornans salubrem, tutam, commodam, opulentam, efficeret, ditaret; &, ut alia omittam, præsertim aquas non solum terram irrigantes, ad cælum ascendentes, & illinc descendentes, omni viventi vitam vegetam, sanam, summam solo fertilitatem adducentes tibi requisitè suppeditaret, miris æque ac sapidis alimentis prospiceret, sed & tuis mortalibus tepidos, & mineralibus compositos fontes, hinc, inde scattentes, magis, minusve notos, usitatos, tanquam medicamenta gratuita, minus periculosa, non ferro, aut igne excruciantia, siti vel fame conficientia, nec foetore, acredine, amarore nauseabunda, tutò, jucundè medentia, gratiosè daret, cumulatè concederet, & ita probè largita esset, ut fibrarum vitia corrigere, sanguini-

nem depurare, humores noxios educere, morbos debellare, vitam conservare, extendere unusquisque posset. Multus omnino forem, limites opusculi academici, & temporis parsimoniam excederem, si de singulis & omnibus quibus medicatis terra nostra scaturit, fontibus pro re & dignitate dicere vellem, meliore tempore, majore otio, ut hæc dignius exequar, B. L. benignè concedas, velim, supplicor; mihi enim adsumo alibi & suo tempore scribenda, quæ de fontibus sequentibus vix historia, nec chemia hætenus notis, minùs usitatis ostendenda forent; sunt autem illi....

1°. ASCHBACENSIS FONS perennis, odore fortiùs sulphureus, vel potiùs putidus in Sundgovix Vallis *Huntzbach*, propè *Altkircham*, vico *Aschbach* dicto neglectus & absque tecto oritur, cujus tamen lotiones hominibus morbo cutaneo ab acri colluvie oriundo detentis mira præstitisse, propria, & gratiosè ad me data Epistola (4) Celeberr. & Doctiss. D. D. HOFFER M. D. Practicus, & naturæ Scrutator *Mülhufii* longè felicissimus, propriis observationibus edoctus testatur.

2°. ARTELSHEIMENSIS FONS situs inter Rhenum & Selestadium perennis aqua dulci, levi refertus puteus, cujus laticem accolæ & in potum, & in Balnea ad morbos varios superandos sæpius felici fidere adhibent; præcipuè verò hanc aquam hystericos, arthriticos & paralyticos juvasse narrant; propriaque observatione ab optimo & nunquam satis adamando meo Parente habita constat, quod ipsi cognata honestior sæmina nimios olim artuum dolores perpessa, tandem optima, & quæque eludente paralyfi detenta his Balneis optime sanata fuerit.

3°. BIENSIS SILVÆ FONS odore valdè foetidus,

fulphureus putatus haud longiùs ab Oppido *Lauterburg* Alsatiæ inferioris in silva, vulgo *Bewald* dicta, suas aquas eructat, quibus accolæ rudiores ad plures artuum, & cutis morbos externè feliciùs utuntur.

4°. BLOZHEIMENSIS FONS odore putrido sulphureus creditus, *Sundgovia* vico *Blozheim* versus civitatem *Bastleam* sito proprius ad morbos cutaneos valdè utilis censetur, & à D. D. HOFFER literis citatis jure merito, licet neglectus sit, extollitur, multumque efficax reputatur.

5°. S. GANGULPHI FONS mihi relatu D. EHRHART M. D. & Practico Argent. felicissimo, Affini honoratissimo notus, quo constat, illius montis Alsatiæ superioris, non longiùs à vico *Bühel*, & circiter una leuca ab Oppido *Gebwilla*, hujusque septentrionem & occasum versus, cui infidet S. GANGULPHI facellum, plagam scaturire aqua honore culta, perenni, pellucida, levi, frigida, vix sapore, vel odore prædita, quoad sensus dicendis *Wattweileranis* valde simili, impetu & copiosius erumpente, quæ partim in *vallem floridam* vulgò *Lautenbacher - thal* præcipitata, partim ligneis tubis ad vicinam ædiculam, & ejus Balnei labra ducta, conterraneis ad paralyfes, scabies, artuum dolores, hypochondriorum mala, & alias hujus farinae ægritudines sanandas, haud levi successu, sæpè stupendo effectû, ut Balneum frigidum (5), optimè agit.

6°. KITTELSHEIMENSIS FONS, odore fætidus, & cujus meminisse voluit Illust & Doctiss. SCHOEPPF LIN (6), ad vicum *Kittelsheim*, leucis circiter tribus cum dimidia ab *Argentorato* versus *Tabernas* distans perennis puteus sulphur olet, etsi maximè neglectus sit, viribus præstans, & lotionem ad papulas, ulcera, scabies tollendas valde utilis ab accolis rusticis reperitur, colitur.

7°. LAMPERTI VALLIS FONTES Bituminosi, quorum præcipuus, & veteribus quoque notus, non longè ab oppido Alsatia inferioris *Wærd* propè vicum *Lampersloch*, è cujus terra bitumen passim exæstuat, in pratis uliginosis puteus, duodecim pedes parisinos profundo, & quinquelato æquans, situs est, cujus aquæ innatat materies spissa, tenax, mellis consistentiæ, coloris nigricantis, odoris adeo volatilis, & graveolentis, ut aliquoties ejus odor ad mille passuum distantiam penetret, saporis nauseabundi, & amaricantis, ad flammam mox concipiendam nec adeo facilis. Retulerunt de hoc fonte HERZOG (7) ROESLIN (8) BOECLER (9) ut alios taceam, præcipuè verò HOEFFEL (10) multa egregia, certiora, meliora aliis, chemicè & medicè dijudicata nobis fusè tradidit, statuit, ejusque mentionem (11) Illust. SCHOEPFLIN fecit. Inprimis verò debitumine, terris, & fontibus bituminosis variis, & numerosè in Alsatia vigentibus, atque præsertim de illo vallis *S. Lamperti* merito & maxime consuli & coli meretur egregium æquè doctè, scite, historicè, ac chemicè pro solito more conscriptum, & illis cedro dignis monumentis *Histoire de l'Academie Royale des scienc. & bell. Lettr. de l'Année M. DCC. LVIII. à Berlin*, pro dignitate insertum opusculum de bitumine Alsatia ab Excellentiss. Doctiss. & longè Celeberr. D. D. SPIELMANN M. D. & P. P. O. ita concinnatum, ut omnes scriptores ad hæc bituminosa hætenus facientes multò & mire superaverit. Hujus bituminis vires, magis quam aquæ ejus, efficaces & notæ experientia teste in ulceribus vetustis mali moris, in pedibus œdematosiis exterius adplicatæ optimos præstant effectus. Aliis quoque morbis opponendas HOEFFEL hinc, inde solidis argumentis stabilire adnititur; quum verò medicorum observatis, quod lugeo, hæc nondum evicta proferantur, eis vix fidem habeo. Interim vovens rogo, ut

optimi conterranei optimis remediis tam divites, nostris ad ægrotorum commoda adeò valentibus, pericula faciant, nostris, dico, prius & potius utantur, quam alienis. BOECLER quoque *L. c.* alicujus bituminosæ scaturiginis *Leberia Vallis* vulgo *Leberthal* propè vicum *Geesbach* in Alsatia superiore stillantis in mentionem incidit, vixque ullo usui quam œconomico hætenus adcommodatum esse, innuit.

8°. RIXHEIMENSIS FONS leviter muriaticus, in aliquo viridario propè Sundgovix vicum *Rixheim* productus, & vix notus, vix ullis infervit commodis.

9°. SULTZENSES FONTES muriatici, perennes, pellucidi, fortiori sapore salino linguam adficiunt. Horum unus intra muros Alsatix inferioris castri *Sultz* profundè scaturiens, (12) omnibus Alsatix similibus præstantior, ab antiquo jam notus, sæpius injuria temporum oblitus, nunc autem optimè restitutus, & curatus infervit, ut in cognomini castri vico sal exinde cum lucro coquatur, & hujus laticis libra una drachmas salis communis sex largiatur; raro tamen usui medico accedit; quamvis aliæ quoque aquæ salinæ inibi existentes, nec ad sal parandum adhibitæ, neglectæ medicatum maxime externum sæpè certiore producere possent. Alius insignis quoque intra mœnia (13) oppidi *Sultz* in Alsatia superiori, ad cujus montis radicem in agro equitum melitensium, fere nullo adcommodatus usui, & quod dolendum, planè neglectus exstat. Sic cine naturæ optima dona vili pigritia spreta jacent?

10°. WASSELNHEIMENSIS FONS (14) acidulus, levis, pellucidus, haud acutus, ad vicum majorem Alsatix inferioris *Wasselnheim* quinque ab *Argentorato*, ad quam hodiè spectat, versus occasum, leucis situm, oritur, qui nec usu, nec fructu hætenus valdè inclaruit.

11°. WIDENSOLENSIS FONS pellucidus, nullo sapore, vel odore sensus ferientes continet aquas, leves, puteo casa fragili tecto receptas, ad facellum S. DIONYSII in silva Alfatiae superioris, propè vicum *Widen-sol*, leuca una à munitissimo oppido *Neobrisaco* distantem, ortas, quas accolæ multa excolunt veneratione; observavitque in naturam rerum nostrarum probè curiosus D. EHRHART M. D. juvenem rusticum, olim ab infantia ex omni membro paralyticum, his aquis tanquam balneis frigidis aliquoties utentem, optime sanatum, vegetum, robustum.

Ast quoque, nescio tamen quo fato aut vili negligentia, miserè perierunt in Alfatia superiore olim vigentes, maxime salubres, & magis usitatæ *thermæ Rappoltivillanæ* (15) & *acidulæ Geberswillenses*.

Hæc jam sunt, quæ aliis, quæ mihi de fontibus patriæ medicatis parcè usitatis, minùs notis innotuerunt; neque comprehendo, qua ratione aliqui, nec infimæ notæ scriptores, *acidulas Lotharingiæ Bussanas* Alfatias ad scribere voluerint, adhuc minùs video, cur Cl. ZUCKERTS (16) *Griesbacenses* & celeberr. LIEUTAUD (17) *Selteranas* aquas, nescio, quo fato decepti, in Alfatia natas, recenter edixerint. Sueta disceptationis Medicæ brevitæ coërcitus omnes medicæ artis cultores interim supplicor, ut in dictos fontes chemicè & medicè curatius inquirere, eos frequentius experiri velint; mihi enim remanet, modo promissis firmiter stare, expectatis certius respondere valeam, ut & hos regionis nostræ fontes notione historica, & medica, usu & fructu clariores sistam, quæ à longo retrò tempore suis accolis, & externis bona & summa præstiterint, plurimos mortalium conservarint, pristino vigori, optimæ sanitati miseros mirè restituerint, evolvam.

- (1) *Odyssee* L. IX. v. 34. ὅς ἐστι δὲν γλῶχιον ἢ πατρίδος ...
- (2) *Libr. de orator. & finib.*
- (3) *Differt. de vegetab. venenat. Alsat.* sub præsidio Celeberr. D. SPIELMANN Præceptoris, atque fautoris mei, ad cineres usque colendi habita *Argentorati* 1766.
- (4) Litteris æque doctè concinnatis, ac humanissimè Mülhusii die XII. Januarii 1769. ad me datis.
- (5) Ad hæc præprimis consuli meretur FLOYERS M. D. *Ψυχολογία*... vertente SOMMER M. D. Germanicè in 8. *Breslau* 1749. edita.
- (6) *Alsat. Illustrat.* T. II. p. 255.
- (7) *Chron. Alsat.* L. III. cap. XVIII. p. 59. Germ.
- (8) *De Silva Vasgov.* p. 28. sqq. *Argent.* 1593. 8. Germ.
- (9) *Cynosur. Mat. Med. Continuat.* T. II. Part. III. p. 856.
- (10) *Differt. de Hist. bals. miner. Alsat. seu Petrol. Vall. S. Lamperz. Argent.* 1734.
- (11) *L. c.* I. I. p. 13. T. II. p. 230.
- (12) SCHOEPFLIN *L. c.* T. II. p. 242.
- (13) Idem *L. c.* T. II. p. 84. planè contrarium, nescio, quo argumento statuit.
- (14) Idem *L. c.* T. I. p. 14. primam ejus, in quantum noseo, notitiam scripto dedit.
- (15) Idem *L. c.* T. I. p. 14. multum authorum numerum ad hos duos fontes facientem adducit, cui JOH. BAUHIN, & SCHENCK infra citandi omnino addi merentur, nec non à CLIVOLO, FUCHS, & GESNER, qui aquas Geberswilenses unanimi ore thermas adpellant Libro de Balneis p. 265. a. 272. b. 297. a Venet. apud Juntas 1553. in fol. consuli merentur.
- (16) *Systematische Beschreib. aller Gesund-Brunnen und Bäder Teutschlands* in 4. *Berlin und Leipzig* 1768. p. 46.
- (17) In suo egregio opere *Precis de la Matiere Medicale* p. 102. *Paris* 1766.





§. I.



VENHEIMENSIS FONS odore putidus, æstate frigidus, hyeme calidus, Gallis *les bains d'Avenheim*, Germanis *Avenheimer Bad*, hætenus authoribus & Medicis ignotus.

HISTORIA. In vico Alsatix inferioris *Avenheim* ab *Argentorato* tribus, à *Tabernis* circiter quatuor leucis & à via regia ad aliquot centum passus cœlo sub benigno distante, cujus incolæ multa & longa plerumque fruuntur sanitate, nec unquam à morbis, aliàs ab aqua oriundis, detenti in vallecula degunt, terra variegata argillacea ludente. ad ortum & austrum aperta, ad occasum, & septentrionem collibus clausa, cujus agri terra calcareis abundat lapidibus, & varia æque ac mira in lapides conversa, præprimis maris & rivorum conchylia sub se condit. In ipso vico jugis puteus scaturit, qui pelvim in profundum & latum quinq̃ue ad sex parisinos pedes æquantem, simili aquæ quantitate omni sub anni tempore, etiam magis æstuante sirio copiosius refertam, usui diætetico hominum & animalium inservientem sistit. Nec improbè argui potest varia mineralia in ejus collium stratis contineri, quum ad harum meridiem & septentrionem multæ scaturigines cuprum & ferrum, aqua sua sensibus

oblata, mentiantur, & inter eas alia ad occasum scatet, quæ brevi tempore quæquæ in illam illapsa lignea lapideis obducit crustis.

QUALITATES. Aqua hujus fontis palato grata, purior, & adeo pellucida, ut minimum corpus, in ejus fundo jacens, distingui possit; hyeme vapores copiosius spargens, licet puteus nunquam tectus, sed omni aeri expositus sit, nunquam summo congelatur frigore. Aqua ejus copiosissimè pota facillimè corpus transit, odor ejus putidus adeo fortis est, ut à distantia passuum quadraginta nares feriat, & rivulus ex in manans, quin glaciatur, plane idem odoratus sistit phænomenon. Odor tamen adeo fugax est, ut aqua vasis recepta brevi omni careat odore.

EXPERIMENTA. Corpora quæquæ, & animalia huic aquæ immissa, etiam ad corruptionem proniora, multo diutius, quam in aliis aquis, se integra conservant, & difficillimè corrumpuntur: omnis humor, qui hyeme & frigore duruerat, ipsi injectus mollior tepefactus, & brevissime tabescit ejus calore: æstate verò quæ contingit, acrius frigida reddit: observantur plantæ illa nutritæ, inprimis Tetrapetalæ regulares, *Tetradynamiaæ filiquosæ* L. vi & acredine eminentiori pollentes. Cum syrupo violarum virescit: cum infuso gallarum nunquam nigrescit: cum oleo tartari p. d. illi injecto turbida redditur: Solutus in acido nitri mercurius ei mixtus, subita & turbida mutatione colorem citrinum producit: pulvis citrinus fundum petit: hujus aquæ triginta & octo libræ cucurbitæ vitreæ & balneo arenæ commissæ cauta evaporatione ad duas usque libras reductæ, frigido expositæ, ad fundum massæ salinæ, micantis, lamellatæ drachmam unam dimiserunt: separatus liquor ulterius igne evaporatus, ad siccitatem usque reductus terræ merè calcariæ, absorbentis, subtilissimæ drachmas duas exhibuit, quæ nullo sale præditæ erant: multum doleo, quod tem-

poris penuria impeditus hunc fontem, & ejus contenta curatius & proluxius examinare nequiverim.

PRINCIPIA. Præter aerem, multum purioris aquæ, nec parum terræ calcariæ subtilissimæ hunc fontem, etiam vitrioli acidi vestigia, & Bituminosi quid, continere argui potest; & illius compositionem alcalina quoque intrare, vel alcali fossilis plurima adesse indicia, experimenta declarant: ita quidem ut hujus recenter haustæ aquæ una quæque libra multum volatilis putidi, massæ supra dictæ salinæ grana duo, terræ calcariæ grana quatuor ad minimum in se foveat.

VIRES ejus emollientes, detergentes, aperientes, depurantes, minis roborantes, absorbentes, demulcentes eò certior statuere audeo, quum multa constet experientia, quod pota mentem exhilaret, urinam fortius provocet, & adeo sanguinis motum acceleret, exagitet, ut à non suctis per aliquos dies hausta, cutim sanguine & pustulis, ast brevi evanescentibus, quasi suffusam exasperet, quo dato appetitus augetur, digestionem melius adjunctæ, optime procedunt; lotionem ejus corpus agile, alacre redditur. Videtur sanitas vici incolarum ab ejus continuo usu pendere maximè integra, & longæva, quum longè plurimi septendecim lustra superent. Et quod mirandum, licet æstuante corpore & sirio hanc aquam gelidam avide plerumque & ad satietatem usque ingurgitent, attamen facile, impunè, immo cum corporis euphoria petit organa excernentia; nec ullus in vico degentium unquam scabie infectus visus fuit, vel alio cutis morbo excruciatum erat, quamvis duris, acrioribus nutriantur; febres occurrunt multo rariores, nec calculo nec sabulo ullus eorum detentus fuit. Culinis quoque & pecoribus eadem utilitate, & commodo inservit.

USUS INTERNUS, uti dixi, & EXTERNUS est; experientia multa, tempus vetustum multoties, & innumeros rusticos vicinos docuerunt, hunc laticem potum maximè

à viscido & acri oriundis morbis, phthysicis quibusdam, atrophicis quoque omnis ætatis, & sexus mederi, diversas scabies belle perfanare, cutim fœdatam, asperam reddere nitidam, levem, atque, & infimul lotionibus sæpe repetitis hos morbos eò facilius, certiusque debellare.

§. II.

CASTINETENSIS FONS, Gallis *les Eaux de Chatenoy*, Germ. *Kestenholzer-Bad*, de quo optimè meruit D. KURSCHNER M. D. (1) & Physicus *Benfeldæ*, hujus quoque mentionem fecit Cl. ZUCKERTS (2), eumque muraticis mixtis & tepidis adscribit.

HISTORIA. Vicus *Kestenholz* Alsatix inferioris, amœnus, fertilis, ab urbibus *Argentorato* undecim leucis, à *Selestadio* una leuca cum dimidia, & versus hujus occasum, à vicis *Kinsheim*, & *Orswiller* parùm distat, cujus in vicinia ad radicem alicujus *Vogesi* tractus, & montis *Hahnenberg* dicti, in prato paludoso puteus perennis, vulgo *Badbrünnlein*, superstructâ casâ, cujus parietes crySTALLIS efflorescentibus micant, contactus scatet, ex quo varii canales ad balnei domum propè vicum exstructam in usus balnearum calidarum transmittunt; superstes vero & superflua ejus aqua pratum irrigat, ejusque arundines materie alba, falsa obducit, incrustat; unde palustres prati aquæ sunt falsæ & præ simplici, & limpidissima à pecoribus appetitæ. Qui fons solummodò rudioribus, scabie adfectis, præsertim judæis notus, tandem indigenis, orbî litterato ante aliquot lustra bono cum commodo innotuit.

QUALITATES. In receptaculo hæc aqua adparet turbida, forsan ob flavum limum asseribus aquas sepientibus inhaerentem, & putei fundum obtegentem, omni anni tempore tactui mollitiem, & teporem, gustui saporem haud nauseosum, leniter salsum, odorem naribus ad sulphureum accedentem, visui vaporem copiose, & jugiter avo-

lantem exhibet, licet hausta, tranquilla, limpida, & omnis odoris brevi expers sentiat. Gravior est una quadragesima, & octava parte ipsis purioribus aquis destillatis.

EXPERIMENTA. Aqua hæc cum lacte amicissimè coit, & cum eo cocta illud nullatenus mutat: liquoribus cœruleis adfusa nec minimam coloris mutationem inducit: acidum vel alcali ipsi additum nullam producit effervescentiam: tamen oleum tartari p. d. illi admixtum, tandem ex illa pulverem album præcipitat: decoctum gallarum nullum in ipsa producit nigredinem: ut facile ebullit, ita refrigeratur: legumina cum latice cocta optime emolliuntur: saponem bene solvit, & excipit: in illa mercurius acido nitri solutus ut pulvis albus dejicitur, qui debito modo sublimatus mercurium sublimatum sistit album, non sapidum, & aqua nullatenus solvendum, cum aqua calcis vivæ tritum nigrescentem: lintea hac lota nitidè albescunt: soluta ferri & cupri vitriola his aquis mista, aliquo tempore sibi relicta reliquerunt terras fuorum metallorum ad fundum dejectas: argentum acido nitri solutum ei adfusum sub forma pulveris albi fundum petit, & huic argento dejecto quid acidi salis adhærere, ejus volatilitas, major ad fluxum dispositio declarant, quod crucibulo & igne tractatum *lunam cornuam* sistit: quæ argenti solutio majori hujus aquæ quantitati immissa pulverem cœruleum exhibet: plumbi acetum præcipitat album, quod crucibulo probatum in plumbum *cornuum* abit: libræ Medicæ quatuor usque ad reliquias sex circiter unciarum cautè destillatæ humorem transtillatum nec sapore nec odore præditum exhibent: relictus vero liquor leni igne & lenta evaporatione ad siccitatem usque actus tres drachmas massæ solidæ, griseæ dedit: hæc materies tamdiu aqua adfusa puriore, usque dum amplius nihil sapidi traderet, lota tandem ad grana triginta quinque terræ siccata, griseæ reducta fuit: lixivium vero pla-

cido igne sensim ad cuticulæ adparitionem evaporata, frigido commissa contextas, varie formatas, longas & cubicas ediderunt crystallos, quæ carbonibus injectæ partim crepitant, aliæ facile & tranquille fluunt, atque in veram calcem abeunt: libræ quadraginta & octo Medicæ ad siccitatem usque reductæ residui grisei uncias tres & drachmas duas exhibuerunt, cujus uncia duæ totidemque drachmæ aqua solutæ, & repitita adfusione aquæ, usque dum nullus vigeret sapor salinus, lixivium inspissatum ad cuticulam, & aliquibus diebus sibi commissum drachmas sex & grana viginti quinque salis purissimi, in parallelipedas, longitudine digitum superantes crystallos concreti formavit: reliquum denuo evaporatum, ad cuticulam redactum, largitur ejusdem salis unciam semis, scrupulos duos & grana duodecim, cui parviores non separandæ cubicæ crystallos adhærent: relicto denuo, & eadem via tractato, tandem drachmæ sex & grana octodecim obtinentur: quod remanens ad siccitatem usque igni admotum, denique micarum salis sub fusci, in igne crepitantis, haud ingratum empyreumaticum odorem spargentis, tandem in carbonem abeuntis drachmam unam sistit: superstes terra purior, subtilis, drachmas duas & totidem cum semisse scrupulos ponderans remanet, cui oleum vitrioli tam diu adfusum, usque dum saturata amplius non effervet, obvenit, ut *crystallificatione* sal, sic dictum *seleniticum*, efficiat: remanet tamen portio in lixivio, acido vitrioli nullatenus nupta, mere vitrescens terra, quæ cum æqua parte salis tartari violento igne liquata vitrum flavum procreat.

PRINCIPIA ejus sunt aer; aqua, quæ ad minimum solidorum sub se contentorum quantitatem centies, vigesies & septies superat; sal mirabile glauberi, sal commune; terra calcaria; terra *vitrescens*; & aliquid petrolei vel alius bituminis. Sal mirabile ad salem communem dupla sub ratione se tenet, hoc vero ad terram calcariam

ut viginti & unum ad quinque, ad vitrescentem ut viginti & unum ad tria inhæret. Bituminosi quid, ast adeo sub parca quantitate, ut calculum non admittat, quoque ipsi inesse experimentis convictum manet, & ita aqua abundans principia disjuncta obruit, ut ejus libra una vix dictorum salium scrupulos duos in se foveat.

VIREs ejus sunt leniter digerentes, stimulantés, incidentes, aperientes, demulcentes, fortius diluentes, relaxantes, abstergentes.

USUS INTERNUS vix ullus; constat vero experientia æque varia, ac veteri has aquas EXTERNE sub forma lotionum, & balnearum calidarum adhibitas doloribus artuum, imprimis scabiei optime conducere.

(1) *Dissertat. de font. medicat. Castenac. Argent. 1760.* cujus præcipua hic sîto.

(2) *L. c.* p. 206.

§. III.

HOLZENSIS FONS, *les bains de Holzbad* Gall. *das Holzbad* Germ. de quo primariò & egregiè scripsit D. D. KRATZ (1) M. D. & Practicus Argent. longè felicissimus, & eum aquis fundi adnumerat.

HISTORIA. In Alsatia inferiore ab urbibus *Argentorato* quinque, *Selestadio* quatuor, oppidis *Benfelda* una, & *Barr* duabus leucis puteus perennis ab *Udalrico*, dicunt, sæculo decimo detectus, duodecim circiter pedes profundus, sat amplus, ab injuriis terræ, aerisque defensus extat, qui magnam vim aquæ nunquam deficientis capit, & mediante antlia, ipsi adnexa, ejus latex per canales ligneos in caldaria diverforii satis ampli, ut balneis inserviat, derivatur; solum ejus, cujus aer purus, fertile, amœnum, parùm elevatum, & planum jacet.

QUALITATES. Aqua hæc levis, mollis, purior, pellucida, odoris & saporis expers, æque ad culinam, ac diætam accedens, vario sub anni tempore ad quinqu-

gesimum septimum thermometri *Fahrenheitiani* gradum friget, nec ulla atmosphææ varietate variat; & adeò levis est, ut parum aquæ purissimæ destillatæ cedat suo ponderi comparatæ.

EXPERIMENTA. In vitrum ex alto cadens aqua *Holzenfis* strepitum edit, & bullulas ad fundum & parietes, sensim superiora petentes procreat: solidum in aere uncias tres, drachmas duas, & scrupulum unum, in aqua destillata verò uncias duas & grana duo pendens, in hac aqua uncias duas & grana quinque ponderat: cito calefit, & refrigeratur: saponem benè solvit, & cum eo spumescit: legumina coctione facillimè emollit: diutius in vasis adservata, semper pura, incorrupta manet, ita quidem, ut per septimestre spatium vitris clausis, & apertis contenta nullum putredinis, aut sepositæ materiæ signum exhibeat: lac illi mixtum non turbatur, nec cum ea coctum coagulatur: syrupus violarum, decoctum gallarum, argenti, mercurii vivi, sublimati, scoriarum reguli antimonii, aluminis solutiones, oleum tartari p. d. spiritus vitrioli, salis amoniaci nullam ipsi colorem alienum inducunt, nullum dejectum efficiunt, alia haud procreant, quam aquæ simplici inducerent: attamen acetum plumbi abinde parumper mutatur, at levissime albescit: libræ centum & quadraginta medicæ evaporatæ pulveris crySTALLIS fuscis præditi unciam unam, drachmas tres, & scrupulum unum reliquerunt, qui liberiori aeri noctu expositus madidus evadit, augetque pondus suum drachma dimidia, & cujus uncia dimidia retortæ vitreæ, & balneo arenæ, usque dum candescit, imposita guttas quasdam acidî largitur, quæ lene empyreuma contraxerunt, & cum oleo tartari p. d. fortissimè effervescent: reliqua massa fixior tandem violentissimo igne fluit, & aeris humidum sibi unit: altera ab evaporatione relictæ prioris massæ portio adfusa aqua tamdiu lota, usque dum nihil amplius sapit, ad cuticulam lixivium eva-

evaporatum format crystallorum badiarum scrupulos quatuor, quarum quædam prismatice in igne fulminant, aliæ cubicæ crepitant, aliæ denique amaricantes, pararellipedæ fluunt, tandem in calcem abeunt: caldarium tandem per longum tempus adhærens concretum, aspectu splendens, lamellatum adfuso vitrioli spiritu valide effervet, quod deinde aqua dilutum, *filtratum*, evaporatum, *crystallifatum* plumosas, *seleniticas* producit micas: hoc idem terreum concretum cum aqua in globum formatum, furno figuli commissum, coctum, globum in pulverem fatiscentem, humidum aeris adtrahentem, plenè calcarium efficit, sistit. Hæc verò experimenta eo majorem fidem mereri, ut adseverem, mihi temperare non valeo, quum sub auspiciis viri & chemici experientiss. & excellentiss. D. D. Profess. SPIELMANN, pleraque instituta, capta fuerint.

PRINCIPIA sunt aer, copiosissima aqua purior, sal commune, sal GLAUBERI, nitrum, terra calcaria, vitrescens, nec non bituminis, vel petrolei parca vestigia. Ad aquam simplicem contenta reliqua se circiter habere videntur, ut unum ad bis mille & triginta duo, atque profectò minima sub quantitate solida huic fonti inhærere, vel sola ejus major aquæ levitas demonstrat, evincit.

VIRES sunt diluentes, relaxantes, leniter aperientes, depurantes, demulcentes; mihiq; videtur, salutare hujus aquæ effectus observatos maxime ejus levitati, puritati, subtilitati adscribi posse.

USUS INTERNUS rarior; EXTERNUS, calidusque frequentior, quo scabies tolluntur, obstructa aperiuntur, dolores varii & convulsiones sedantur; quid immo D. D. WEIGEN M. D. & artis obstetricandi hujus urbis Magister & Practicus longè celeberr. observavit, usum internum & externum hujus laticis in doloribus artuum, horumque fungis, mensium suppressione, fluore albo, simul in vulvam aquis injectis, mira præstitisse, optime

fanasse; alii quoque obstructa & infarta viscera, motus hystericos & hypochondriacos hoc balneo valde tepido multoties repetito ablatos, extinctos summè admirati sunt.

- (1) *Dissert. Histor. font. Holzens. sistente Argent. 1760.* hujus summam exhibeo. *Illust. SCHÖEPFLIN L. c. T. I. p. 14.* quoque hæc balnea obiter innuere voluit.

§. IV.

NIDERBRONNENSIS FONS, Gall. *les bains de Niderbronn*, Germ. *Niderbronner-Bad* est muriaticus compositus tepidus, jam ab anno M. D. LXV. authoribus notus, qui varii GUINThER (1) THEODORUS *Tabernæmontanus* (2) RÆSLIN (3) JOH. BAUHIN (4) REYHING (5) REISEL (6) SCHÖEPFLIN (7) varia docuerunt, hos omnes superaverunt, & de hoc fonte optimè meruerunt LEUCHSENRIK (8) & ZUCKERTS (9.)

HISTORIA. Alsatiæ inferioris vicus *Niderbronn* à *Weissenburg* & *Bitsch* sex, ab *Hagenoa* & *Buxovilla* quatuor, ab *Argentina* novem leucis distat, cujus ager fertilis æque ac amoenus est. Montes vicini sunt metallorum & pyritarum glebis feracissimi. In proxima valle *Jägerthal*, una leuca à fonte remota, magna vis minerarum & pyritarum offenditur, ut taceam bitumen, petroleum, sulphur, vitriolum, lithantraces, argillas, terras calcarias, bituminosas, fabulosas, martiales undequaque & in vicinia copiosius disseminatas, olim & hodiè reperiundas, quas transmeat fontis hujus aqua, & erumpens duobus continetur receptaculis, quorum unum superius, alterum inferius dicitur, ex utroque in uno horæ minuto laticis sexcentum & nonaginta sex libræ effluunt, unde scaturiginis magnitudo & vis patet, atque haud mirum sit, aquam sic continuo agitatum visui se turbidam & ad fundum limo plenam sistere; interdum tamen, ast rarius,

adeo pellucet, ut quidquid in fundo jaceat, accuratius distinguui possit; extracta verò & quietè vasis commissa per certum tempus limpida, pellucida, nec bullis aereis, nec motu intestino agitata adparet, nec temperie aëris, nec quantitate hæc fundi aqua unquam se immutat. Limus rubiginosus non solum in receptaculis, sed & in prato aqua hac irrigato copiosè reperitur.

QUALITATES. Hausta pellucet; odor ejus, similis humi madefactæ & acidi salis fumantis, facillime avolat, disparet; sapit aquam sali communi levissime conditam, & leniter titillando grata falsugine gustum adficit. Licet tactui frigida adpareat, tamen tepidis adnumerari meretur aquis, quum thermometerum *fahrenheit*, etiam sub diversa aëris temperie in fontem demissum, semper ad sexagesimum ducat gradum. Pluviæ & aquæ distillatæ ab ipsa præponderantur. Limus dictus aquæ odorem naribus offert, & sapor ejus est falsus.

EXPERIMENTA sub directione & opera Excellentiss. atque celeberr. D. D. Profess. SPIELMANN, Academiæ nostræ ornamenti capta, adeò vera declarant, quod idem vitrum, aqua destillata plenum, uncias quatuordecim, drachmas quatuor & grana quinquaginta tria æquans, Niderbronnensi oppletum sub eodem volumine uncias easdem, sed drachmas quinque, & grana decem ponderet: facile ebullit, & legumina cum ea cocta optimè emollit: liberiori aëri exposita, & quodam elapso tempore leniter bullas, & pauciores rubiginosas partes superiora petentes, dein ad fundum descendentes format: æstate etiam paucioribus diebus, aëre frigido post decem dies ipsi falsa supernatat cuticula, atque pro eadem temporis ratione hæc aqua sic tractata magis magisque falsa, sed inodora evadit: lac ei mixtum non cogitur: succum vegetabilium cæruleum nullatenus mutat: nec cum acido, nec cum alcali effervet, licet alcali adfusum, tandem ex ea pulverem album dejicit: sal ammoniacus in eam receptus,

urinosum non dimittit: alumen solutum eam non turbat: saponem solutum coagulat: in solutis antimonii scoriis, & hepate sulphuris ad secessum sulphur cogit: illi, cum limaturæ ferri digestæ, decoctum gallarum adfusum fortius nigrescit, & evaporatum ferri crocum copiosum ad fundum dejicit: soluta vitriola illi adjecta tandem suas metallicas terras præcipitant: mercurius in acido nitri solutus ab hac aqua præcipitatur, & ut pulvis lætè auran-
tius, si parca aquæ quantitas, sin insignis recepta fuerit, tunc perfectè citrinus ludit: mercurius verò sublimatus sub specie pulveris albi fundum petit: argentum in acido nitri solutum, & plumbum in aceto suspensum ipsi mixta, ut pulveres albi fundum legunt, qui in crucibulo fusi cornui fiunt: copiosæ verò hujus aquæ quantitati adjecta solutio argenti, cærulea secedit: multum soluti argenti pauciori aquæ quantitati adfusum, præcipitatum, fortissimo igne tractatum ægerrime funditur, & in auras non diffatur: vix haustæ si decoctum gallarum misceatur, sensim color ejus magis nigrescit: quo ditius verò hausta hoc experimentum instituitur, eo minus vel planè non color mutatur: linteamina eâ imbuta rubiginoso adficiuntur colore: libræ sex laticis in vasis vitreis benè clausis destillatæ, ab initio exhibent liquoris insipidi, odore aquam simplicem referentis drachmas sex: igne sensim adaucto obtinetur aqua empyreumatica, quæ solutum argentum non turbat, ast mercurium ex aqua forti citrinum, & non sub solidæ substantiæ forma sublimandum dejicit: tandem ulterius & omni transtillata aqua vas recipiens ea repletum acidi salis halitu nares fortius perstringit: cucurbitæ verò fundus continet massam albam, variis ex stratis formatam, sali similem, scrupulos octo pendentem: laticis septuaginta quinque libræ cautius destillatæ & ad siccitatem usque evaporatæ, uncias quatuor cum drachma dimidia materiæ solidæ, in aëre humidum concipientis reliquunt: quæ in balneo

arenæ & vitrea retorta, usque dum ignea sit, destillata in collo retortæ paucissimam crustam falsam, in bulbo ejus materiem, validissimo igne haud fluentem, in recipiente drachmas duas cum dimidia liquoris cujusdam largitur, qui sapore acidus, odore sulphureus, cum alcali effervens, à dimidia salis tartari olei p. d. drachma saturatus in crystallos, aqua frigida solubiles, igne facile fundendas concrevit: quæ cum pulvere carbonum deflagrando mixtæ, fusæ sulphuris hepar producant; & ab hujus liquoris residuo solido si omne sapidum ope aquæ separatur, tunc remanent terræ griseæ drachma una & quinquaginta grana, quæ cum acido vitrioli valide incalcescit, effervescit: quo finito, & ab hac terra separato acido remanet quid terræ non solubilis, cum sale tartari in vitrum viride liquescentis: evaporato vitrioli acido, terram in acido solubilem continente, obtinetur verum alumen: in vase verò, quo detinebatur liquor prior destillandus, crystallisandus, adhærentis petrolei circiter grana decem, haud graveolentis, combusti, reperiuntur, & id quod formatis aluminis crystallis ultimo ex lixivio densatur, saponem perfecte refert: aqua elixivationis ope superius obtenta evaporata exhibet crystallorum, albarum, quadrangularem, igne crepantium, nempe salis communis uncias tres, drachmas duas & dimidiam, salis verò mirabilis scrupulos duos, remanet non crystallisantis, in calore solidescens, in aëre diffusantis, & cum oleo tartari p. d. in massam solidam albam abeuntis liquoris drachma una, quæ ab ipsa salis communis terra ad plurimum constituitur: limo rubiginoso hic nudè observando nisi phlogiston addatur, nunquam à magnete trahitur, licet multum ferri, suo privatum inflammabili includat.

PRINCIPIA. Libræ quatuor hujus aquæ in se continent parum aëris; aquæ simplicis circiter libras tres, uncias undecim & drachmas sex; acidi vitrioli grana octo; terræ

vitrescentis grana tria; terræ salis communis grana duo; salis communis drachmam unam & grana septem ac viginti; terræ aluminosæ grana duo; salis mirabilis grana tria; petrolei, ochræ, ac croci martis pauxillum. Cum igitur omnia contenta solida, diversa sub ratione sibi adfinia plurima aquæ quantitate nimis obruta, diluta hæreant, evenit, ut vitriolum martis brevi & facile se destruere possit, nec in natura reperiatur; odor à petroleo & acido, quin hepar sulphuris generetur, efficiatur, & sapor ab simul mixtis producat.

VIRES pro diversa usus ratione optime & fortius diluentes, emollientes, abstergentes, demulcentes, temperantes, resolventes, aperientes, leniter stimulant, roborantes, & alvum parum ducentes.

USUS ejus **INTERNUS** jam à duobus ferè seculis notus laudatur in morbis primarum viarum, viscerum, venæ portæ, sanguinis à spissitudine & acredine productis; & ad gluten humorum nimis viscidum, acrem, & magis terreum, diluendum, attenuandum, incidendum, alterandum à practicis certius probatur, atque ab illo ortos ad sanandos morbos cutis, musculorum, artuum, viscerum, renum præcipue, vesicæ & uteri probè, & eo melius commendatur, si ægroti ipsos insimul adgredi velint **USU** hujus aquæ **EXTERNO**, qui vetustior sub varia æque ac utili balneorum tam frigidorum, sæpius calidorum forma fibras relaxando, dein roborando, sanguinem diluendo, derivando, revellendo, calorem corporis diverso sub gradu adaugendo, cutim detergendo, corporis superficiem comprimendo, & depurando optime agit, & interdum adeo magno cum successu, multa testante experientia, ut non solum variis à fibra rigida oriundis morbis benè conduxerit, harum irritabilitatem nimiam, & partium spasmos ordinaverit, requisitè sopiverit; cutis foeditates purgaverit, paralyses & macies sustulerit, sed & observantibus inter nos Celeberr. olim **DE**

LINDERN Cephalalgiam hystericam, Rheumatismos, morbos cutaneos benè sanaverit, & Experientiss. & Doctiss. D. D. EHRMANN & civitatis nostræ Archiatro Meritiss. dolores vagos, rodentes, tensivos hoc Balneum destruxerit, Consummatiss. & Feliciss. Practico HAHN malum ischiadicum, cachexiam, fluorem album, catameniorum nimium fluxum debellaverit, mutaverit. Quid immo adfirmaverunt D. D. WILHELM & WEYLAND Medici longè felicissimi, Buxovillæ olim merentes se vidisse his balneis arthritides, Rheumatismos optime sanatos, atque iisdem tepidioribus & diutius usos, sabulo, lapillis, fluore albo; præprimis malo hysterico & hypochondriaco detentos optime restitutos D. D. EHRHART inter nos medicus gavisus est. Quæ & alia mala hac aqua debellata varii egregiores nostrates Medici adtestari possent.

- (1) *Comment. de Baln. & Aqu. Medicat.* Dialog. I. p. 93. *Argent.* 1565. 8°. refert has aquas ad illas, quæ manufactæ calidæ sunt utiles & Medicatæ.
- (2) *Neuw Wasser-Schatz* p. 539. & 553. *Frankfurt.* 1584. 8°.
- (3) *Descript. Vagoviae.* C. IV. Illust. Citante SCHOEPFLIN. *L. c.* T. I. p. 14.
- (4) *De Aqu. Medicat. Nov. Method. & Histor. Font. Bollens.* L. III. C. 34. p. 215. & 269. *Montisbeliard.* 1617. 4°.
- (5) *Kurtze Beschreibung des Niderbronnischen Wassers.* *Strasburg.* 1662. 8°.
- (6) *Niderbronner Bads-Rath, &c.* *Strasburg.* 1664. 8°.
- (7) *L. c.* T. I. p. 14.
- (8) Optima & eruditiss. *Dissert. de font. Med. Niderbronn.* *Argent.* 1753. cujus excerpta imprimis conducentia heic listo. In genere hoc opusculum manum magistræ & in chemicis virum consummatum ut authorem prodit.
- (9) *L. c.* p. 206. placuit quoque Cl. & Experientissimo D. REAUDIN M. D. designato inspectionis militarium Alsatiae Xenodochiorum successori hujus fontis meminisse in nunquam satis laudando opere *Recueil d'observations de medecine des Hôpitaux Militaires* par M. RICHARD DE HAUTESIERCK T. I. p. 234. *Paris* 1766. 4°. quod summa & sueta egregii viri perspicuitate concinnatum, & ad omnium utilitatem extructum claret.

§. V.

SULZBACENSIS FONS, Gallis *les eaux de Sultzbach*, German. *Sultzbacher Sauerbrunnen*, est alcalinus compositus, frigidus, & Clar. ZUCHERTS L. c. Class. III. Ord. II. Genera ingredi meretur; de eo commemoraverunt MEZ & SCHERB testante Illust. SCHÖEPFLIN (1) & quidam anonymus (2) citante Clar. HAUSMANN (3) qui historiam, analysin, & usum hujus aquæ pro dignitate pandere voluit, & quem Cl. & Experientiss. D. RENAUDIN (4) scitè secutus est. Ad veterum acidulas pertinet.

HISTORIA. Oppidulum Alsatiae superioris *Sultzbach*, in valle montis Vogesi *Gregoriana* situm, tribus leucis à civitate *Colmaria* versus occidentem & septentrionem, una vero ab oppido ejusdem vallis *Münster* distat, cujus in solo, amoenitate, fertilitate, & salubritate floridè vigente, & ab oppidulo dicto aliquot centum passibus ad radicem montis *Oberfeldwald* fons *acido vinosus* profilit; anno circiter millesimo sexcentesimo & tertio detectus, post decennium receptaculo instructus, tandem hujus sæculi octavo renovatus existit, cujus aquæ è terra prorumpentes à cavo quodam quadrangulæ lapideo excipiuntur, puteumque cum lapidibus ultra horizontem magis protensis exstructum formant, qui capitulo tectus, ab injuriis variorum defensus est, ejusque laterum uni janua pro lubitu claudenda, & aperienda, est adjuncta. Horizonti & terræ superficiei respondens cavum scaturiginis altitudine pedes quatuor parisinos, latitudine cujuslibet lateris pollices triginta æquans, efficit spatium viginti & quinque pedum cubicorum; receptaculum itaque plenum libras aquæ acido-salsæ mille & octingentas recipit, quæ jugiter & singulis quatuor horis tot è terra profluunt; earum sapor & vis adeò fugaces sunt, ut
has

has proprietates haud longo tempore conservent, neque & ideò ad loca magis disita se transferre concedant. Nulla frigoris tempestate in puteo unquam congelatæ visæ fuerunt. Præter hoc receptaculum duo alia ibidem adfunt, unum *Schwefel-Brünnlein*, aliud *Bad-Brünnlein* dictum, quorum, & superioris aqua superflua in rivulum, oppiduli terram irrigantem, se præcipitant. Hydrophylacis superstructa est domus, in qua aquilex inhabitat, cujus in vicinia strata lithantracum reperiuntur, aliique aquarum dulcium, usui diætetico inservientium, terram calcariam foventium fontes, & canalibus ad oppidulum ducti, etiam hominibus optimè salubres scatent, licet cancris, piscibus, & variis insectis lethales existant. Divites quoque sunt diversis mineralibus, & metallis montes ejus vicini.

QUALITATES. Aqua fontis acido-vinosi nares leviter perstringit, pota, grata, reficiens, ut acido vinosum sapit, titillat; ejus tamen odoris, & saporis intensitas pro vario aëris habitu aucta, vel minuta variat; pellucida, pura majore motu hausta, in cyathos effusa ad horum parietes, & superficiem magnam bullarum vim ostendit; tactu frigida, & thermometri *Fahrenheitiani*, in receptaculum quaquà hora immissi, gradum quinquagesimum indicat; vix gravior ipsa destillata aqua. Fons *Schwefel-Brünnlein*, improbè sulphureus dictus, aquam pellucidam, levem, frigidam, nullo odore, sed sapore nauseoso instructam exhibet, cujus hodiè usus est obsoletus. Alius *Bad-Brünnlein*, fons balnei nuncupatus, aquam planè inspidam, inoletem, frigidam, & æstate ad dimidium aliorum duorum fontium imminutam producit, atque cum primi fontis aqua mixtus in caldariis ad balnea inservit.

EXPERIMENTA cum primi fontis aqua instituta evincunt, quod hujus aquæ libræ sex, & unciae quatuor similis voluminis aquæ destillatæ quantitatem drachma dimidia superent: aqua hæc mineralis licet in vase benè

clauso conseruetur, tamen tempore haud multo sapor ejus
 diminuitur, & perit; & quamvis aqua haud valde turbe-
 tur, tamen fundo, parietibusque vasorum terræ flaves-
 centis pauxillum adponit, quæ fortiori igni, & crucibulo
 tradita, tandem crocum martis, & ferrum magnete ad-
 trahendum efficit: quandoque hæc aqua liberiori aëri expo-
 nitur, tunc fugax ejus sapor citius, & brevi evanescit:
 accessu aëris, & leni juncto calore cuticula micante obdu-
 citur, tunc ejus pelluciditas leniter & insimul mutatur, quæ
 vero paucissimo acido vitrioli adfuso statim restituitur: ca-
 lori admota bullas format: vasa hæc repleta, subere ci-
 tius vel arctius clausa, præsertim mota, sæpius suberem
 displodunt, vel rumpuntur: antliæ pneumaticæ si ab aliqui-
 bus etiam septimanis hausta subjicitur, tamen citius, & co-
 piosius, quam aqua simplex, aërem dimittit: & lagena aqua
 hac non in totum repleta, vesicæ madidæ ope clausa, for-
 tius concussa, aër ab aqua exeuns vesicam brevi disten-
 dit: cum lacte mixta optime coit, & potum certè gra-
 tum constituit: saponem benè solvit, & cum eo agitata
 copiosè spumat: omni cum acido pro ratione ejus vi-
 rium, & hujus haustæ tempore, magis minusve efferves-
 cit: syrupum violarum viridem efficit: ferrum & cu-
 prum ex eorum vitriolis dejicit: plumbum ex aceto, ut
 calcem albam, præcipitat, quæ sicca & insipida in cruci-
 bulo citò fluit, & vapores sat sensibiles emittit, atque
 poros crucibuli penetrando tandem vitrum metallicum
 sistit: adfusus solummodo quibusdam argenti, in acido
 nitri soluti guttis, oritur in hoc latice color lacteo-coe-
 ruleus, & argentum sub albæ calcis specie fundum tegit;
 ast majori in aquæ quantitate argentum, sic liquido sus-
 pensum, coeruleum præcipitatur; quem colorem etiam
 prior alba calx, si menstruo diutius relinquitur, induit:
 utrumque præcipitatum vasi retorto, & arenæ balneo
 commissum, intensioris ignis vi adhibita, genuini, & evi-
 denter reducti argenti grana format: aquæ calcis vivæ

nupta albis, subito evanescentibus, ludit nubeculis: cum oleo tartari p. d. non effervet, colorque ejus, abinde mox lacteus, brevi mutatur, & pelluciditas redit, fundo autem, & parietibus vasis pauxillum dejecti pulveris adhæret: hepar sulphuris, & reguli antimonii scorix solutæ illam turbant, & sulphur albidum ima petit: succus heliotropii colorem in aqua rubrum procreat, qui tandem coeruleus fit: cum oleo calcis vivæ oritur concretum substantiæ albæ, paucæ, in aqua non solubilis: alcali fixum cum dupla sanguinis portione ustum, principio inflammabili copiosius ditatum, aqua destillata solutum cum latice minerali colorem lacteo-coeruleum producit, & substantia magis albida sensim fundum petit: cum Gallis & harum decocto, quamvis hæc aqua non nigrescat, colore tamen magis fusco tingitur: quod idem obvenit, si cum limatura ferri digesta gallarum decocto misceatur: in vase aperto igni exposita copiosius avolantes sistit bullas, quibus expulsis ejus perturbatur pelluciditas, & sensim surgentes quædam micæ angulares superficiem quasi crusta obducunt, quæ crystallinæ linguam non adficiunt, quod phænomenon tamdiu repetitum, usquedum omnis aqua ad vigessimam partem evaporata fuerit, tunc subsidens materies colo separata relinquit liquorem lenta evaporatione cuticulam contrahentem, & crystallos rhomboideas procreantem: remanet in reliquo liquore ad siccitatem usque evaporato massa lamellata, superius magis, inferius minus alba, falsis partibus referta, aëris humiditatem adtrahens, quæ aqua calida lota, à terris separata lixivium sistit, à quo similes priorum crystalli obtinentur: libræ septem medicæ hujus aquæ vitro, & arenæ balneo lente destillatæ post quatuor horas exhibent unciam unam cum dimidia aquæ simplicis, quæ eadem usque ad siccitatem, continuata aquæ destillatione, ascendere pergit, nec ullo cum corpore mixta mutationes producit: massa sicca, alba, lamellata, evidenter falsa ponderat grana sexaginta &

quatuor, quæ acido salis communis imbuta rito processu in salem communem abit, & cum acido vitrioli sal mirabile producit: micæ superius notatæ, satis copiose obtenturæ cum alcali, & carbonibus fusæ verum hepar sulphuris procreant, ex quo soluto hepar verum sulphur dejicit: atque sine phlogistæ additione fusæ, crystallisatæ vitriolatum tartarum præbent: omnis terra inde varia vice separata, lota, siccata, tandem cum dupla alcali quantitate fusa in vitrum magis, minùsve maculis nigris instructum concrefcit: centum libræ hujus aquæ evaporatæ, exsiccatae drachmas quindecim & grana viginti quinque residui reliquunt, quod ope tepidæ aquæ destillatæ ab omni sale liberatum, rursus exsiccatum, drachmas sex & viginti octo grana æquans, spiritui vitrioli penetratum, depuratum denuo, & exsiccatum sui ponderis grana septuaginta sex amittit, & cum aqua calida coctum seleniten, terræ vitrescenti arctius unitam sistit: aqua verò destillata salibus imprægnata, repetitis evaporata vicibus rhomboideas, paucas crystallos salis mirabilis exhibet; & reliquus haud crystallisandus liquor, ad siccitatem reductus salis flavescentis lamellati grana septuaginta quinque relinquit: omnium verò obtentorum salium pondus fuit æquale novem drachmis & granis quindecim, quorum crystallos in aqua simplici solutæ temporis successu pulverem album à se dimittunt, qui cum omni acido fortiori magis, debiliori minùs effervesceat: dictæ crystallos mercurium, in acido nitri solutum, aurantium præcipitant, & fusæ cum carbonibus massam paululum rubescentem, hepar sulphuris olentem efficiunt: residuum à liquore crystallisato nullum vitrioli acidi vestigium præbet, sed alcali purè fossili adcenferi meretur.

Aqua fontis dicti sulphurei argenti, in ea digesti, colorem non mutat, nec destillatione cautissima ullo modo quid sulphuris producere potuit; immo residuum à destillatione, arsenico mixtum, sublimatum nullo colore

tingit : quatuor ejus libræ tantum sex grana massæ falso terreæ , evidenter alcalinæ relinquunt.

Fons Balnei adhuc minus, evaporatione & reagentibus pertractatus, sese alcalinus prodere voluit ; hujus quatuor libræ evaporatæ residui falsi grana quindecim formant, cujus scrupulus dimidius est sal ei prioris fontis simile, quod aliquot grana terræ sub se continet.

PRINCIPIA. Constat igitur præcipuus fons mineralis acido-vinosus aëre, copiosa aqua, ad solida in ratione sexcentarum viginti & duarum partium ad unam partem se tenente ; parco vitriolo martis ; alcali minerali ; & sale ad terram sub ratione quingentorum, triginta, & septem ad trecenta, octuaginta, & octo ; terra calcaria ad cæteras terras ut triginta, & octo ad centum, quinquaginta, & sex, & terra selenites circiter ad vitrescentem ut duo ad quinque se habentibus, atque terra vitrescente, & bituminis, vel alius inflammabilis vestigiis componitur ; quæ utique omnia adeo mire soluta, & mixta, aëri diutius, vel igne exsiccata, chemicè tractata salem mirabilem, communem, terras martiales, seleniticas, vitrioli, & philogistæ vestigia cur manifestent, haud mirum est ; & hanc aquam fere in totum esse alcalinam ex notatis facillime assequitur, atque probè arguitur, præcipue aquæ primi fontis quid bituminis, vel phlogistæ inhærere, cum nudè & absque addito inflammabili argentum, ex acido nitri præcipitatum, facillime ad naturalem suam formam fonte reducat.

VIRES fortius diluentes, attenuantes, resolventes, stimulant, aperientes, mitius demulcentes, temperantes, absorbentes & roborantes ; & quas præcipuè de primo fonte intellectas volo.

USUS INTERNUS quotidiana experientia, & multa observatione docet aquam fontis primoris mox per se, mox lacti nuptam, ad fontem præprimis potam, modo plethora, aut nimia ventriculi irritabilitas absint, summo

cum levamine in morbis cutis, artuum, capitis, pectoris, abdominis, viscerum, venæ portæ, & organis fecernentibus, & excernentibus, à mucoso, acri, terra abundante humorum, & aliquali fibrarum laxitate productis adhiberi. Adeo haud mirum est, legi & audiri, illam colluviei ferosæ, scabiei, diversis partium doloribus, vertigini, tussi humidæ, & acri, asthmatis pituitoso, palpitationibus partium, obstructionibus, ictero, colicæ, nephritidi, fluori albo, sterilitati, catameniorum, & hæmorrhoidum fluxui ordinando, vermibus destruendis, diversis excretionibus adjuvandis, phthysicis, hæmoptycis, & paralyticis quibusdam, nec non hypochondriacis, & hystericis medicæ usam, adeo proficuum, salutarem, optatam fuisse. EXTERNUS vero corpori sub vario balneo, & aquæ calore adplicatus longe plurimis dictis morbis, artuum præprimis, urinæ, & generationis partium, hystericis, hypochondriacis, paralyticis, & obstructis optime occurrat; atque melius usum internum adjuvat.

(1) L. c. T. I. p. 14.

(2) *Salvallis acetosell. mineral. Bericht etlich. zu Sulzlach sich befindenden Sauerwasser-Quellen* 1673. 8. Arguo hunc librum esse illum SCHENCKII aquarum Sulzmattensium, §. VII. citatum.

(3) *Dissert. de Acidul. Sulzbacens. &c. Argent.* 1764.

(4) L. c. T. I. p. 234.

§. VI.

SULZENSIS FONS, Gall. *Les Bains de Sultz*, Germ. *Sultzbad*, cujus mentionem fecerunt WECKER. (1) ETSCHENREUTTER. (2) Testante JOH. JAC. SCHURER (3) M. D. & inter nos olim celebri Practico, qui ejus pro tempore admodum bonam dedit descriptionem; & illum illust. SCHÆPFLIN. (4) pro meritis adlegavit, has fundi aquas salvas compositas Balneis, & Alsatiæ mineralibus bene adnumerando.

HISTORIA. Balneum vulgo *Sultz-Bad* dictum propè Alsatiæ inferioris vicum *Sultz*, in vicinia vicorum plurimorum, in pratis ad facellum divi AMANDI commodè situm, à seculo decimo sexto (5), & ultra notum, ab oppido *Molsheim* duobus stadiis, ab *Argentorato* quatuor circiter leucis distat, & in vallis planitie jucunda, versus ortum & occasum aperta, ad septentrionem & meridiem fertilibus agris, pratis, vineis, & pascuis egregiis, lapidibus gypseis, calcariis, fabulosis, & aliis divitibus montibus septa, proxime ad rivum *Mosig* exstructum floret, cujus in ædificiis sat amplis duo putei sat lati, & profundi, quorum unus major, alter minor & obsoletus, copiosam, vix differentem scaturiunt aquam, quorum superfluum latex per cuniculos vicinas, & balnei aream sepientes sub terra petit fossas. Major & frequentioris usus fons Antlia in se immissa instructus est, ut illa mediante aqua ejus sublata per canales ligneos in caldaria deriveatur, & inibi pro necessitate cocta, deinde cum frigida eadem pro diversa medendi ratione in labra balnearum hypocausti profluat. Aer hujus regionis tractus purus, salubris, & optime motus existit.

QUALITATES. Aqua hæc perennis, limpida, pellucida, nullo hyeme congelata, potius tepida magis, & copiosiores exhalans vapores existit. Odorem valde fugacem, putridum spirat, æstate vero minus grave olet, & quasi friget. Sapor ejus salugine, & amarore aliquo adverso palato nauseat; attamen & copiosissime pota nullum primis viis negotium facessit, potius & brevi urinam copiosius, & interdum quoque alvum leniter ducit.

EXPERIMENTA. Limpida aliàs hæc aqua in caldariis coctione plerumque ad tertiæ partis consumptionem reducta fere lactis induit colorem, & lævis tactu, magis falsa gustu, instar lixivii fortis, sentitur: parcissimo pondere aquam simplicem & puram superat: saponem facile dissolvit, & illum non cogit: brevi & leni coctione odo-

rem putridum perdit : nec in vase aperto diutius conservata corrumpitur : syrupo violarum mixta statim & vera viriditate ludit ; pulveri gallarum adjecta per noctem pulchre rubescit : pulvere rhabbari purpurascit : cortice granatorum subrubra , granati floribus aurantia evadit : à calce concharum non effervescit , neque quid inde præcipitatur : & quod mirum acida mineralia adfusa illam vix evidenter & multum turbant , nec quidquam ex ea præcipitant , licet cum eis leviter effervescente videatur : à soluto vitriolo martis statim ex viridi flavet , vario colore ludit , deinde & brevi albicat , remanet tamen ei spissior nubecula flava supernatans : oleum tartari p. d. spiritus salis ammoniaci , & cornu cervi ipsi adfusi plane eadem coloris phænomena sistunt : solutio mercurii sublimati , ut & ejus pulvis aquæ superficiei viridem circum conciliant , aquam quodammodo turbant , & ex flavo viridem reddunt : aqua hæc ex retorta ad duas tertias destillata , & iisdem liquidis , solidisque tentata , eadem sed levius ostendit phænomena : destillatæ ejus quatuor libræ medicæ fortiozem saporem & odorem adipiscuntur , tandem & ulterius igne pertractatæ sedimenti cinerei drachmam unam cum dimidia & granis octo relinquunt , quod aqua calida tamdiu elutriatum & lotum , usque dum amplius nihil saperet , æquavit pondere grana duodecim : aqua vero sic sale imprægnata , ad cuticulam evaporata , frigido seposita crystallos albas , micantes , saporis insigniter falsi & amari exhibet : porro hoc sedimentum tam sali adhuc unitum , quam eodem per elutriationem privatum , ut & aqua sale nutrita , ac sal ipsum fortiter cum spiritu nitri effervescit , atque violarum syrupum dilutum in viridem transmutat colorem : illa quoque crusta cinerea lateribus balneæ aheni adherens , in calcem versa cum acidis effervet , at à magnete non adtrahitur : verum ochra flava , quæ solummodo in principio canalis lignei , aquam ducentis , reperire est ,
in

in calcem mutata multas splendentes miculas sistit, & magneti ut ferrum adhæret.

PRINCIPIA hujus laticis componunt aër, copiosior aqua, alcali fossile, terra calcaria, terræ selenites, terræ martiales, acidi vitrioli paucillum, & bituminis vestigia quædam, odore & sapore prodita; atque videtur argui posse, ab aquæ hujus libra medica una teneri soluta salium circiter grana viginti & unum, terræ subtilioris & insipidæ grana tria.

VIRIUM ratione sunt hæ aquæ fortius diluentes, demulcentes, detergentes, depurantes, aperientes, incidentes, minus absorbentes, alvum ducentes, & roborantes.

USUS INTERNUS ejus vix ullus, aut admodum rarus, quoniam pota adeo gustui adversetur; attamen optandum foret, ut invaleret, siquidem adeo facile diuresin & sæpius alvum pota moveat; ast proh pudor! quis mortalium ignorat, quod longè plurimi ægroti potius linguæ & palato favere, consulere, quam corporis sanitati, assumpto levius nauseoso medicamine restituendæ, studere, tutius providere ament. EXTERNE vero sub varia balnei specie à longo retro tempore jam probantibus WECKER & ETSCHENREUTER (6) ad obstructa referanda viscera, renum & vesicæ sabulum eliminandum, lapillos destruendos, catamenia ordinanda, hic fons probè adhibetur. Convenit vero præterea & præcipuè affectibus mulierum, scabiei, cæterisque cutis vitiis, asthmati hypochondriaco, hysterico, etiam convulsis, & resolutis; sanat fluorem album; dolores artuum & musculorum tollit; gonorrhææ, & hæmorrhoidibus, nec non nervorum morbis bene conducit.

(1) *Antidotar. Special. &c. Basil. 1561. 4.*

(2) *De Natur. Virib. & Effect. Baln. & Salubr. Font. Germaniæ Argent. 1571. 8. Germanicè.*

(3) *Dissert. de Balneo Sultzensi Argent. 1726. ad quam, & in quantum licet, passim provoço, ut hujus fontis notitiam curatius statuere valeam.*

- (4) Illust. SCHOEPELIN *L. c.* T. I. p. 14.
 (5) EJUSDEM *L. c.* T. II. p. 146. videtur tamen, immò probè constat citatis WECKER & ESCHENREUTER, hæc Balnea præprimis usu externo, jam à duobus seculis, & ultra plurimum inclaruiffe.
 (6) *L. c.*

§. VII.

SULTZMATTENSIS FONS acalinus compositus, Gall. *les Eaux de Sultzmatt*, Germ. *Sultzmatter Sauer - Brunnen*, quem primus JOH. GEORG. SCHENCK (1) scripto ad praxin, & usum melius faciente, ad ejus theoriam & contenta pessime conferente notavit, discussit, commendavit, & Illust. SCHOEPELIN (2) de illo quoque cogitavit.

HISTORIA. In Alsatia superiore & optimo sub aëre civitatem *Rubeacum* inter, & *Gebwillam*, hujus ad ortum, & septentrionem leucis circiter duabus, illius ad occasum & septentrionem leuca una majore vicus major & antiquior *Sultzmatt* distat, qui in valle arctiore, amoenissima, hominibus robustis, sanis, feris variis, vineis & agris, sylvis & pratis, terris & lapidibus diversis fertilissima, opulenta, ori & oculo grata, rivulo olim *Ohmbach*, hodiè *Rothbach* dicto perfluxa, irrigata, ad septentrionem à monte *Heidenberg*, ad meridiem & occasum à monte *Grospsfinsberg* septa, inter ortum & parum ad meridiem aperta, duplici via regia, ad planitiem ortus & meridiei vergente, adornata, ad occasum, & magis ad septentrionem clausa cum Dominio in viculos *Osenbach*, *Winsfeldem*, & dimidii *Westhalten* commodè existit; atque duobus vetustis, fartis tectisque castris, uno *Wagenburg*, quod Generosiss. & Illust. L. B. DE LANDENBERG incolit, & alio *Wasser-Steltzen* illustratus floret; hujus ad septentrionem & occasum vallis in planitie, & juxta viam per aliquos centenos à vico passus, ad montis *Heidenberg*, lapidibus arenosis, & in vicinia

calcariis, nec non argilla versicolori exstructi radicem in solo ex arena & argilla confecto sex acido - falsæ pro-
 filiunt scaturigines, olim miserè, & earum celebritatis, meritique damno neglectæ, vilioribus casis vix tectæ, & ab injuriis temporum ferè nullatenus defensæ, nunc autem à Generoso, Illustri, atque Doctiss. D. L. B. DE SPON sunt optimè curatæ, & exornatæ; qui vir non solum patris optimi vestigia arctius premit, & Colmariae ut causarum advocatus in curia Judicum Alsatiæ suprema, facili, felici & sublimi eloquentia in totius patriæ incolas, sed & ut scaturiginum dictarum, vicinique castri *Wassersteltzen* jam optime Dominus in totum genus humanum, atque rem medicam gloriosissimè mereri voluit, pergit; siquidem super, & ad scaturigines vastam, decoram & omnibus commodam domum, balneasque salubres exstrui curaverit, advenis & ægrotis munificè & salubriter prospexerit. Hi Fontes sibi magis vicini, & quorum præsertim quatuor, hominum gratam merentur mentem; *Acidulus das Sauerwasser* benè vocatus, *sulphureus das Schwefel-Wasser*, *cupreus das Kupffer-Wasser*, & *Purgans das Purgier-Wasser* vulgò, & pessimè dicti, frequentius sunt usitati: duo alii minùs saponi, obsoleti, neglecti haud reputantur. Videntur relatu J. G. SCHENCK (3) hæ aquæ, seculo decimo quinto innotuisse, & diebus interitus acidularum *Gebersweilerensium* oriri cepisse, quæ leuca una, ad oppositum ejusdem montis tractum, & latus magis ad ortum, è terra ferri mineralium feracissima olim profluxère, & ubi copiosæ, atque divites ferrifodinæ ante tria lustra floruerè. Jam diu & imprimis duo fontes obsoleti gentibus vicinis erant noti, & à pecoribus maximè ad potum, & præ puriore atque simplici aqua expetiti, adamati vigeant, antequam casu feliciori ab aliquo GROS (4) investigati, rimati, & seculo elapso ad medicinam utiles putati famam piam acquirerent, & magnificam, atque beni-

gnam Sereniss. Austriae Archiducis LEOPOLDI, Argentinae Episcopi mentem commoverent, ut ad eos peritum Aquilegem, & Metallarios miserit, qui perquirendo, fodiendo, hos fontes exstruerent, propriis receptaculis includerent, in puteos restagnantes converterent, atque in omnium commodum & salutem gratis hauriri, & potari possent, efficerent. Fons *Acidularum das Sauer-Wasser - Brunnlein* omnium praestantior, & major, sat latum & profundum, lapidibus exstructum, & tectum format puteum, cujus aqua (5) mediante antlia tollitur, hauritur; olim *vena matrix* dictus fuit. Fons *Cupreus das Kupfer-Brunnlein* aetate SCHENCK ignotus, & junior omnibus, praestantia & acore suo proximè priori accedentes latices fovens, lapideum quadrato oblongum, haud amplum, & non adeo profundum, apertum efficit receptaculum. Fons *Purgans das Purgier-Brunnlein*, olim *filia major* vocatus, priori ferè similem structura & forma se sistit. Fons *Sulphureus das Schwefel - Brunnlein*, *filia minor* nuncupatus, ceteris angustior, sat profundus puteo quadrato, lapideo, antlia ejus aquas per euripos ad balneas tollente, ducente instructo componitur. Nullus horum trium fontium haecenus clausus, vel tectus, aut ab injuriis temporum, praepriis aëris benè defensus fuit, unde in ipsis saepè fordes reperiuntur; neque usus aquarum *Cuprei*, aut *Sulphurei* fontis unquam, vel rarissime interne adhibendus invaluit, & latices fontis *Purgantis* vix aliter, & interdum solummodo scopo purgandi, prius sale medioalvum ducente impraegnati hauriuntur; cum praë ceteris minis falsæ, debiliores, & leniores sint hujus aquæ. Copiosissimè verò, & imprimis sirio aestuante accolæ, & aliæ gentes aquam fontis acidularum pergratam omni cum corporis euphoria ingurgitant. Omnes quatuor suos latices semper & æque redundantes ad proximè fluentem, limpidum, strepentem mittunt rivulum *Rothbach*, quin tamen ejus aquas, truttis & aliis optimis piscibus ditatas,

his morbosas, lethales efficiant; attamen non reticebo, quod ranas, & insecta aquatica certo tempore fonti *Sulphureo* innatantia, tandem emortua viderim. Duo fontes obsoleti ceteris ætate priores, & primæ inventionis vena adpellati (6), vix profundi, ferè fordibus & arena deleti, haud amplius aqua restagnantes, cella & quadrato - oblongis, lapideis alveis inclusi vilipenduntur, & ad illos magnam vim stalactitarum albarum, & flaventium, rotundarum & planarum, insipidarum, calcariarum, in igne fatiscentium & placide in pulverem abeuntium, qui cum acidis effervet, reperi, admiratus fui.

QUALITATES. Omnes fontium horum aquæ sunt limpidae, pellucidæ, copiosæ, cum impetu motæ, vel agitæ in vasis multas aëris bullas emittunt; quamvis frigidæ, nullo tamen intensiori frigore hyemis unquam suis in puteis congelatæ observabantur. Aciduli fontis aqua aliis potu suavior, etiam diutius incorrupta manens, eo magis omnibus Alsatiæ mineralibus & medicatis præripere solet aquis palmam, quum vasis recepta benè clausis absque evidenti virium & qualitatum suarum jactura, vel exitio transportari procul, & conservari diutius, commodè possit, cui SCHENCK (7) etiam adstipulatur; & hoc mihi propria compertum habeo experientia. Ceteris ibidem existentibus aquis mineralibus, simplicibus, immo ipsis purioribus destillatis pari sub volumine computatis multò levior est, ut adeo haud mirum sit, videre, quod hic latex vel leniter quassus aliis multo copiosiores bullulas ad aërem mittat, & vasis inclusus horum epistomium valida vi & sono forti facile explodat, rejiciat, atque vasa ipsamet quandoque in partes agat, disjiciat. Gratè & fere fortius linguam titillat; nares, faucesque pota sat acriter perstringit, sapore parum falso, magis vinoso ludit, & plurimorum cerebrum levius adficit, atque sensus, & mentem serenando, exci-

tando, vi fugaci caput subit. Aquæ verò fontis *Cuprei*, & *Sulphurei* suis proprietatibus, sensibus obviis dictæ proximè accedunt; posterior tamen naribus admota mihi videbatur præterea quid resinosi spirare. *Purgans* aqua levissime falsa, vix odora, & gustata quid terrestris & austeri præ aliis sapit, debilior aliis tribus, etiam sensus parum adficit. Omnes tres posteriores latices similibus voluminibus, ad paria aquarum puriorum & destillatarum relatis, plus minusve pondere suo has superant.

EXPERIMENTA cum his laticibus capta, à me sub tutis & clarioribus auspiciis omni cum accuratione instituta declarant, quod omnes cum lacte tranquillius, & facile, quàm cogatur, coëant; & saponem bene solvant: spatium vasis, continens quatuor medicas aquæ purius destillatæ libras, sub eodem volumine aquâ *acidulâ* repletum novem drachmas minùs quam aqua destillata ponderat: quod idem experimentum si cum reliquis peragitur aquis, tunc aqua *Sulphurea* drachmis tribus, & granis duodecim, *Cuprea* verò drachmis duabus, & granis decem, denique *Purgans* drachmis quinque cum dimidia, & scrupulo uno aquam puriorem, destillatam superant: *Acidula* cum acido salis leviter effervesceat, & syrupum violarum in valde viridem colorem statim mutat; ast ceterorum fontium aquæ ipsi admixtæ nullatenus effervere mihi videbantur, atque cum syrupo violarum solum nycthemero idem phænomenon producant: omnibus quatuor laticibus soluta vitriola martis & veneris adfusa ferrum ut flavum, cuprum ut album pulverem ad fundum dimittunt: aqua calcis vivæ illis addita nihil mutati efficit: mixto tartari oleo p. d. his aquis nulla obvenit effervescentia, & stratum aliquod album, dixeris nubeculam, in liquidi medio adparet, quod aliquot horarum spatium ad fundum sub specie pulveris albi detruddit, qui exsiccatus cum acidis effervesceat: cum aliquibus aceti plumbi guttis mixtæ omnes turbantur, & opacæ

pulchrius pluribus lactescunt horis, tandem nycthemero pellucere incipiunt, & limpidæ factæ multos niveos plumbi floccos fundum tegentes sistunt: à soluto sulphuris hepate hæ aquæ colorem album induunt, & sulphur statim sub forma pulveris albi ad fundum secedit: alcali fixum cum dupla sanguinis portione calcinatum, & in aqua destillata solutum, illis injectum, spatio aliquot horarum sub specie pulveris nigri fundum petiit: solutus in aqua destillata puriori mercurius sublimatus, si duabus aquæ acidulæ partibus additur, tunc hæc aqua parum lactescit, ut tamen sat pellucida maneat, dein, & elapsis circiter duodecim horis flocculi citrini, & pulvis nigricans, admodum subtilis, superficiem petunt, qui sensim aucti tandem vasis fundum copiosiores legere incipiunt: mercurii sublimati grana tria, per se & nudè unciis duabus horum laticum adjecta, eosdem floccos, similemque pulverem formant: *Sulphurea*, & *Cuprea* mercurio sublimato soluto & eadem sub ratione tentatæ, ferè eadem ac acidulæ sensibus ostendunt phænomena: *Purgans* tamen plus flocculorum, & micarum citrinarum, minùs pulveris nigri efficit: gallæ aquam acidulam, ut & *Sulphuream* rubro inficiunt colore, reliquas flavas reddunt: partes æquales saturati gallarum decocti, & aquarum, inter se mixtæ nihil mutant; ast quatuor acidulæ unciis si decocti gallarum aliquot misceantur guttæ, tunc aliquas post horas color dilute viridis nascitur, & circulus quasi cæruleus superiora cingit, vitrumque tingit: hoc idem ceteris, sic probatis ferè eodem modo contingit: *Purgans* aqua nullam à *Spiritu* vitrioli, nec à soluto tartari sale, nec à soluto mercurio, nec à lixivio alcali cum sanguine calcinati experitur mutationem; *Sulphurea* cum spiritu vitrioli bullulas procreat, cum solutione argenti lactescit, à reliquis dictis non mutatur; acidula similem *sulphureæ* se gerit; *Cuprea* evidentius, quam præcedentes, floccos crassiusculos ex solutione argenti dejicit, aliàs cum

acidula proximè convenit: argentum nitidum, purum diutius cum *sulphurea* digestum prioribus horis multas in sua superficie aëris bullas vigentes sistit, sed nunquam alieno colore inbuitur.

Residuum à cauta, & ad ficcitatem usque perducta evaporatione medicarum centum librarum aquæ *acidulæ* vulgo *Sauer-Wasser*, ponderat drachmas quatuordecim, quæ salsæ, tam diu aqua destillata extractæ, elutriatæ, usquedum remanens pulvis nihil sapiat, obtinetur lixivium, quod ad certos evaporatum gradus multum mucidi, fusci mucii ad fundum dimittit, is postquam omnis secesserat, & exsiccatus fuerit, cum acidis effervescit, cum acido vitrioli in crystallos seleniticas abit: residuum lixivium demum post longum temporis intervallum in crystallos abiit, quarum figura partim parallelogrammata, partim trapezia refert: hæc crystallos sunt alcalinæ; cæruleum colorem vegetabilium in viridem vertunt; lixivum saporem gustui imprimunt; cum acidis effervescunt; mercurium ex acido nitri præcipitatum flavo colore adficiunt; earum pondus drachmas quinque æquat: remanens ab elixivatione pulvis terra grysea fuit, & drachmas quatuor ponderavit, cujus portionem spiritus nitri cum effervescencia dissolvit, sed hæc solutio adfuso sanguinis lixivio nullum colorem cæruleum induit: terra verò, quam acidum intactam reliquit, scrupulos duos pondere æquavit: in pastam formata, & igni commissa in eodem concidit, atque flammam emisit inodoram.

Residuum falsum à centum libris aquæ, vulgò & malè *sulphurea*, *Schwefelwasser* dictæ, ut superius tractatæ, pondus drachmarum sex exhibuit, quarum *elixivatione*, & *crystallisatione* facta prodiit sal omni dote simile priori, cui præterea quid salis mirabilis adhæret, quod omne ponderat drachmas tres cum semisse, quæ falsum & lixivium fortius sapiunt, & quasi quid frigidi, urinosi & amari linguæ & faucibus imprimunt: terra, quam accepi, ponderat drach-

mam

nam unam, cujus dimidium terra calcaria erat, reliqua argillacea & grysei coloris.

Residuum ab evaporatione aquæ, vulgò & fordidè *Cuprea*, *Kupfer-Wasser* dictæ centum librarum, fortius falsum, superavit pondere uncias duas, drachmas quinque, & scrupulos duos: extractione salis solito more finita, remansit mihi residuum terreum, gryseum uncia unius, & drachmarum sex cum dimidia, quod ope acidi nitri tentatum effervescentias edidit, quas calor, & odor bituminosus comitati fuerunt: debilitatum liquorem filtro transjectum, & ope lixivii sanguinis probatum num haberet partes martiales, vidi hanc terram fovere tales, siquidem præcipitatum cæruleo-nigrum secessit adfuso tali lixivio ad fundum: illa verò pars terræ, quam adfusus nitri spiritus intactam & in filtro reliquit, quoque cocta ex omni dote argillaceam se præbuit, monstravit: sal verò crystallos formavit ejusdem naturæ & formæ cum eis, quæ in analysi priori designatæ fuerunt, habent colorem flavescensem, ab aëre in pulverem album mutantur, & pondere drachmas tres cum dimidia referunt, atque saturatæ cum oleo vitrioli seleniticæ indolis crystallos procreant.

Residuum centum librarum aquæ, frustra, & inconsultè *Purgans*, vulgò *Purgier-Wasser* vocata, parum falsum pondere drachmas undecim æquavit, inde salis drachmæ duæ, & totidem terræ gryseæ obtinentur: sal & terra cum prioribus adæquatè congruunt.

PRINCIPIA Fontis *Aciduli* ab aëre copiosissimo, aqua exuberante, ad contenta solida partim falsa, partim terrea circiter ut sexcentum & quadraginta ad unum se tenente; ab alcali fossili ad terras ut quinque ad quatuor, à terra calcaria, atque argillacea ad terram merè vitrescentem ut duo ad unum sese sistentibus, nec non ab evidentioribus petrolei, vel cujusdam alius bituminosi indiciis certò com-

ponuntur; atque una libra aquæ *Acidulæ* plurimum aëris, & ad minimum grana novem solidorum foveat.

Ferè eadem partes constituunt scaturiginis *Sulphureæ* aquam, alia tamen sub ratione; nec enim huic, ut priori, tanta vis aëris viget, & major est portio ejus aquæ ad solida, quum hæc solummodo ad illam ut unum ad mille, quadringenta, & quadraginta circiter se habeant, sal verò, ut plurimum alcali fossile, sit ad terras partim calcarias, partim argillaceas, & vitrescentes, ut tria & dimidium ad unum: aliquid quoque ferrei, salis mirabilis, & bituminosi in se condit; ast sulphur nullo vestigio reperire est; includit verò libra una hujus aquæ ad plurimum grana quatuor solidorum.

Cupream aquam efficiunt parcior aër, aqua copiosa, quæ tamen multò minore, quam in aliis, proportionem ad solida occurrit; siquidem solummodo, & circiter unam solidorum partem quadragenis & octogentis partibus fluidis superet, & ita, ut libra una hujus laticis grani ad minimum tredecim solidorum imprægnata sit, quorum terræ partim calcariæ, partim argillacæ, & martiales ad salia probè alcalina, nullatenus media, computatæ veniunt, ferè ut quadraginta, & duo ad decem, & unum dimidium. Etiam quid bituminosi ipsi inhæret. Omni cupro caret.

Purganti aquæ vix non eadem adesse principia detegitur; ast tam parva sub ratione ejus sal & terra vigent in una aquæ libra, ut calculum proportionis haud mereri videantur. Uno verbo aliis multo debior, vix efficax, & nullatenus purgans meritò reputari potest.

Videntur in genere multum aëris, alcali fossile, cui aliquid calcis accessit, cum terra calcaria, vitrescente, certioribus petrolei, vel alius bituminosi indicibus harum aquarum principia sub diversa ratione constituere. *Sulphuream* præterea quid salis mirabilis ingreditur.

VIREs aquarum scaturiginis *Acidulae*, & *Cupreae* sibi sunt adfines, & meritò absorbentes, demulcentes, emollientes, fortius abstergentes, stimulant, penetrantes, incidentes, aperientes, depurantes, & lenius roborantes haberi merentur: *Sulphureus* fons dictis proximè accedit, videtur tamen ejus aqua mitioribus agere viribus, meliùsque ut topicum inservire: ab aqua verò *Purgante*, minimè alvum ducente, parum aut nihil virium præ aliquibus aliis minis compositis, magis simplicibus aquis expectari potest; & mihi videtur, quod tamquam topicum, ad balnea potius, quam ad potum, & alvum laxandam adhiberi debeat. *Cuprea* verò aqua, falsò sic dicta, modo ad ejus qualitates sensibus occurrentes, & ad partes illam componentes curatius adtendere velimus, profecto omnes alias congeneres, & contraneas aquas minerales, licet adeò levis, & gustui grata non sit, ac ipsa *Acidula*, viribus superare videtur, atque ad minimum æque salubriter, ac valide agit, optimas, & salubres corpori ægroto inducit mutationes; adeoque optandum manet, ut Medici hujus laticis vires, quas sensus, quas ratio adeò probas arguunt, iteratis tandem observationibus firmiter stabilirent.

USUS acidulae EXTERNUS hætenus nullus; INTERNUS verò vetustior æque, ac frequens, & securus viget; mox enim per se, mox lacti nupta, tepida, frigidaque potatur, & inprimis sole æstuante jam à longo retro tempore à multis sanis, & ægrotis ut grata summo cum levamine & ad scaturiginem, & in aliis nostræ regionis tractibus copiosè hauritur, variisque morbis destruendis longe feliciter opponitur, quorum jam temporibus SCHENCK (8) datam enumerationem, si denuò dare vellem, utique multò nimis profusus forem. Interim varia æque, ac solida, & fida docuit experientia varios diversorum temporum Medicos, quod hæc aqua præsertim quasdam sanguinis acedines, & spissitudines corrigat,

avertat, eliminat, optime excernenda & fecernenda promoveat, actiones vitales, & animales præcipuè expediat, ordinet, adjuvet. Illam in febribus inflammatoriis, malignis impunè & commodè pro potu hauriri, & præsertim hyſtericis, atque hypochondriacis mirè conducere, hos ſanare, SCHENCK (9) propriis confirmat obſervatis, cui in multis benè conſentit Celeberr. D. HOFFER (10) qui illam ſæpius conſulit, exhibuitque hominibus, quandoque eorum humores diluendi, fibræ viſcerum roborandæ forent, nec non in adfectibus hypochondriacis, viſcerum infarctu & obſtructione, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, catameniorum fluxu irregulari, uteri, aliisque hæmorrhagiis, in nephralgia, & dyſuria à viſcido, vel acri oriundis. Experientiſſimus D. BACCARA M. D. & *Colmarie* Phyſicus literis (11) ad me humaniſſimè datis dicta obiter, ſed paſſim confirmat, additque hos latices inprimis morbis cutis, renum, uteri, fluori albo, debilitati, paralyſi, & doloribus artuum diverſis optime mederi, conferre; viditque Adſinis mihi æſtumatiffimus D. D. EHRHART arthriticum plurimum annorum, nullo remedio ſublevatum, ejus conſilio his aquis variè, & diutius utentem pulchrè reſtitutum, & duas hyſtericas abinde ſanatas quoque obſervavit. Solent, neſcio qua authoritate, vel credulitate ducti, ſeducti aquam fontis *Purgantis* ſcopo alvum ducendi, & fruſtra quidem, niſi ſalibus acuata mediis aſſumatur, ſæpe copioſius & damnoſè bibere; alias enim alvum nulatenus ſubducit.

EXTERNUS verò USUS præſertim aquæ ſic dictæ *Sulphuræ* ſat frequens & copioſus floret; hanc enim ſcaturiginem ad balnea varia, calida, tepida, frigida vario modo corpori adplicanda probè & fructu adhibent, quæ ſæpius mira præſtant, & eo magis dictis in morbis, ſi *acidularum* uſum inſimul comitentur, has utcunque melius adjuvant. Præſertim verò à dictis Clariſſ. Me-

dicis in paralyfi, parefi, arthritide, rheumatismis, doloribus diverfis artuum, ulceribus, papulis, pustulis, & scabiebus variis, nec non contufione, echymofe & tumoribus deprædicantur. Probè tamen Cl. D. HOFFER *L. c.* de paralyticis ab apoplexia monet, tales ægrotos his laticibus parcius & cautius interne, & externe uti debere; additque, omnes arthritide & pertinaci rheumatismo detentos, hæc balnea fibi diu adplicantes, sæpius & melius, quam ullis fefe reftitutos, adjutos edixiffe, & eas mire laudaviffe aquas.

Quod *Cuprea* fcaturigo vix ullo floreat ufu, maxime miror: atque, quin publice profitear, vix ullas *Alfatia* aquas his merito antiponi, aut præferri poffe, meliusque de nobis mereri, mihi obtemperare nequeo, videturque, hos latices minerales non folum viribus, fed & fitus comodo, atque amœnitate omnibus fuis conterraneis facile palmam, præmiūque præripere. Interim omnes bonos, optimosquæ artis faluberrimæ fautores rogo, ut medicatu horum fontium obfervata medica adaugere, ditare velint.

- (1) *Salivallis Acetofell Mineral. Beschreibung.... eines mineralifchen Sauerbrunnen-Waffers.... zu Sulzmatz... Basel 1617. 8.*
- (2) *L. c.* T. I. p. 14. T. II. p. 83.
- (3) *L. c.* p. 11. utique hæc conjectura majorem fidem mereri videtur, fi ad hæc GUINThER & JOH. BAUHIN *L. c.* de acidulis *Gebersweilensibus* conferantur.
- (4) SCHENCK *L. c.* p. 14. & fqq.
- (5) Quid immo IDEM *L. c.* p. 9. testatur, quod accolæ *Aciduli* fontis latices pro potu ordinario, ufu culinarum, & condimento ciborum, ne fal commune ipsis opus efflet, plerumque & omni cum comodo adhibuerint.
- (6) Idem *L. c.* p. 16. has denominationes adducit.
- (7) *L. c.* p. 20.
- (8) *L. c.* p. 23. & fqq.
- (9) *L. c.* p. 28. & 30.
- (10) Litteris fuprà adlegatis.
- (11) *Colmaria* 12. Januarii 1769. confcriptis.

§. VIII.

WATTWEILERANUS FONS, Gallis *les Eaux*, ou *bains de Wattweiler*, Germanis *das Wattweiler-Bad*, quem scriptis magis, minusve consentientibus, ad historiam, analyfin, vires ejus, & rem medicam haud plenè, & verè facientibus orbi literato innotescere voluerunt GUINThER (1) ESTChENREUTER (2) GÆBEL (3) JOH. BAUHIN (4) Clar. BACHER (5) Illust. SCHÆP-LIN (6) & Cl. MOREL (7) qui omnes superavit, meliora dedit, & hujus aquæ naturam curatius investigavit, illumque lenissime martialibus, & vix compositis aquis adscribi posse, patebit.

HISTORIA. Oppidum Alsatiae superioris *Wattweiler* ad montis *vogesi* radicem, in monticulo molliter edito, sat alto conspicuum cujus ad oppositos, continuos, una leuca, & magis ad occasum distantes montes vallis *S. Amari* minerarum auri, argenti, cupri, & ferri fodinae sat divites, & multae occurrunt, quae hodiè neglectae ante aliquot lustra clarescebant. Aëre liberiore & puriore, agris, vineis, silvis, & pratis fertilissimis, amoenissimis, aquis fontalibus, rivulisque optimè instructum, ditatum distat, ad sui ortum aliquibus centenis passibus à via regia montana, ad meridiem ab oppido *Sennheim* una leuca, ad septentrionem ab oppido *Sultz* duabus circiter leucis. Ejus famam leviter minerales aquae jam diu auxerunt, quae ad oppidi occasus meridiem, & ad quadragintos circiter passus in monticuli declivitate, & valle angusta, argilla, & ochra divite, & pratis amoenis, lætâ colorum *αργυρῶν* pulcherrimè ludentibus, & suavissimè odoratis floribus æstate ferta, adornata, recta duae scaturigines, à se invicem duabus circiter perticis regiis distantes jugiter profiliunt, quarum major maxime usitata majorem, tectum, lapideum constituit puteum,

quem magna semper replet quantitas aquæ, quæ tubis ligneis, plerumque ochrâ, & croco ferri incrustatis, pro diverso medentium scopo, & ægrotorum re frigida, vel in caldariis calefacta ad balnea, & labra sat commoda, ampla, quibus & infimul mensa lautâ peritus aquilex, & optimus hospes pro rei statu & necessitate æque commodè ac curatè prospicit, proprio pondere, & liquore descendentes, copia, & impetu profluentes ducuntur. Altera minor, minusque latice abundans, vix, aut non usitata, neglecta vilependitur, nec hujus mentionem ulterius feram. Superflua utriusque aqua terminos, & oras puteorum horizontales transcendens, exuberans rivulum prata irrigantem, multo limo rubiginoso, croco, & ochra ferri refertum, nullis piscibus ditatum, aliis planitiem agrorum petentibus aquis immissum constituit. Homines hujus loci plerumque robusti, vivaciores, longævi sunt; mirum tamen videtur, plerasque plebeias, & indigenas fæminas bronchocele, tamquam morbo endemio, laborare.

QUALITATES. Limpida est hæc aqua, bullis aëreis à fundo putei ad superficiem aquarum jugiter se elevantibus referta, pellucida, inodora, sapore aliquantulum austero, quasi ferruginoso linguam adficiens, tactu mollis, maxime levis, hyeme nunquam glaciatur, licet magis frigeat, quam æstate, qua vix non tepet.

EXPERIMENTA. Calore solis, aut balneo Mariæ fota, tepesacta, copiosius aërem sub specie bullularum copiosiorum eructat, exhalat: cum sanguine, urina, bile, lacte, albumine, & vitello ovorum facillimum init conubium, diutius servandum, quin in floccos, aut grumos cogantur: nec cum lacte etiam diutius ebulliens ullam mutationem, aut coagulum profert: attamen saponem Venetum haud dissolvit, potius destruit: cretâ solutione argenti saturatâ chartæ bibulæ tinctæ, vasi hac aqua pleno supertentæ, & illud benè claudentes, diutius sic

relictæ nullatenus nigrescunt: gallæ contusæ latici injectæ eam non rubicundam, nec nigram reddunt, sed nycthemero tandem cum ipsis flavet: nec succi vegetabiles cærulei, nec chartæ cæruleo tinctæ his aquis vel per se, aut etiam igne reductis, inspissatis imbutæ, madidæ colorem suum mutant: cum acido vitrioli fortius effervescent: & eo ad majorem acorem saturatæ laticis libræ sexdecim, dein cautius evaporatæ, exsiccatae procreant massam albam, micantem, compositam, falsam & floccos nivis sistentem: duæ drachmæ alcali fixi ficcioris quatuor hujus aquæ unciiis solutæ, illam lacteam absque ulla effervescencia, vel præcipitato reddunt: duæ uncia aquæ calcis illius quatuor unciiis unitæ aquæ mineralis limpiditatem turbant, tollunt, atque, quin odor oriatur urinosus, sedimentum, copiosa lanugine vasis fundum dealbans, dimittitur: decem guttæ aceti plumbi unciiis aquæ quatuor instillatæ lacteum colorem, & copiosum album præcipitatum, plumbumque cornuum, igne tentatum efficiunt: purioris argenti in nitri acido soluti guttæ sexdecim mixtæ libris duabus aquam lacteam, & sedimentum purpurascens reddunt, quod arte tractatum se argentum cornuum sistit: huic aquæ igne coactæ reductæ si adjicitur vitrioli acidum, tunc adhuc fortius effervet, & vapores albos exhalat, qui plane eodem odore, & vi nares feriunt, ac illi solent, qui exsurgunt, quando fortius vitrioli acidum sali marino destruendo adjicitur, miscetur: mercurii sublimati soluti guttæ quadraginta adfusæ unciiis aquæ quatuor, in ejus superficie nubeculam vario iridis colore ludentem, & pulverem auroræ similem, versicolorem ipsi interspersum nycthemeri spatio, absque ullo præcipitato, formant: mercurii in acido nitri soluti guttæ quadraginta mixtæ quatuor unciiis aquæ nullum sedimentum citrinum dejiciunt: quatuor hujus uncia nuptæ uni spiritus salis ammoniaci drachmæ erant subalbidæ: quando ejus uncia duæ in argenti

ti parisiæ vase, vel cochleari ad siccitatem usque exhalantur, tunc evaporatæ nec aurei, nec nigri coloris maculas ipsi imprimunt: solutio vitrioli viridis cum hac aqua mixta non mutat colorem: certæ hujus laticis quantitati, evaporatione reductæ, si duæ partes spiritûs vini *rectificati* adfundantur, tunc floccos, tanquam nivem, brevi ad fundum dimittit: sexaginta, & sex libræ hujus aquæ in balneo *Mariæ*, cautius evaporatæ, ut nequidem versus exsiccationem odoris foeditatem formarent, residui salis rufescentis drachmas duas, quadraginta, & quinque grana exhibent, quod crystallos in apices collectas, & erectorum species dumetorum refert, cujus major portio à sale GLAUBERI, altera ab aliqua terra absorbente, & alcalina, cui quid ferri, & acidi marini inhæret, constituitur: hujus residui grana octo ferreæ palæ ignitæ inspersa, & loco commissa tenebroso, nec flammam, nec arsenici, sulphuris, aut alium odorem alienum edunt: si parum residui in dimidia aquæ destillatæ uncia dissolvitur, & syrupo violarum miscetur, color idem permanens, etiam spatio duodecim horarum, & ultra gratè cæruleus ludit: scrupulus dimidius residui aqua destillata solutus, cum octo spiritûs salis ammoniaci guttis mistus jugiter lactescentem procreat liquorem: cum uncia dimidia infusi gallarum si solvitur residui scrupulus dimidius, nulla oritur mutatio infusi: croci, & ochræ ferri, quæ sub forma crustarum, & pulveris flaventis adhærent tubis aquam ducentibus, certa quantitas igni violento, & crucibulo commissa, totaque ignita, magnete facillimè adtrahitur: hæc terra martialis æqualibus salis ammoniaci partibus unita, crucibulo, & igne tractata admodum grato visui spectaculo flores citrinos, albos, rubros, sanguineos, brevi evanescentes, & sibi jugiter subsequentes producit: remanet verò in crucibuli frigefacti fundo pulvis ex gryseo-nigricans, saporis croci martis astringentis: ochra ferri, & limus rubiginosus, probè

ficcus, si nitro in crucibulo fuso sensim infundantur, tunc scintillæ pulchrius micant, nitrum deflagrat, & parum detonat: ochræ ferri grana decem addita infusi gallarum unciaë semi, hoc adeo evidenti, & forti tingunt nigrore, ut etiam sex elapsis mensibus per modum atramenti scriptorii servire potuerit.

PRINCIPIA ejus sunt multum aëris, copiosissima aqua, cujus libra una circiter, & vix substantiæ solidæ, salso terreæ grana tria fovet; præterea terræ calcariae, selenitum, & martialis pauxillum, nec non alcali fossilis, acidi marini, & vitrioli, atque phlogistæ pauciora continet vestigia, quæ contenta solida ad ejus fluida circiter se tenent ut unum ad mille, nongenta, & viginti.

VIRES maximè ab ejus puritate, levitate, & subtilitate majore dependere videntur; sunt autem emollientes, diluentes, liquantes, abstergentes, temperantes, penetrantes, lenissimè incidentes, roborantes, & absorbentes.

USUS INTERNUS haud adeo frequens, & meritò, quum ipsam aquam puriorem, simplicem viribus parum superare posse constet, modò ad ejus qualitatam, & principiorum naturam, atque rationem seriò adtendere velimus, licet non nulli authorum (8) hunc laticem diversis in morbis, à rigido, acri, & mucoso ortis optimos edidisse effectus observatione varia convicti enuntient, statuant. Ast quis Medicorum ignorare poterit, & an non eadem æque mira aquæ simplici leviori sæpius, & recte adtributa, optimè effecta legimus (9) quotidie videmus? eo magis, si EXTERNUS ejus USUS quoque accedit, qui vario sub balneo multiplex, frequens rectè & meritò occurrit, atque ægrotorum confluxu, comodo, & sanatione citatis authoribus optime probatur, laudatur in morbis à rigiditate fibrarum, articulorum, muscutorum, horumque debilitate, à spissitudine varia, & acrimonia diversa, & nervorum vitiis genitis. Celeberr. D. HOFFER ferè eadem literis adlegatis confirmat, & propria

edoctus experientia statuit, hanc aquam externè adhibitam certius opitulari cuti morbosæ, rheumatismis, viscerum, & glandularum obstructionibus, & infarctui, sabulo renum, & vesicæ, hæmorrhoidum, & catameniorum suppressio, & inordinato fluxui, atque chlorosi. Propriis quoque observatis convictus vidit D. EHRHART fæminam valdè hysterica, diversis, & maxime probatis repugnantem medelis, unicè, & optimè his balneis valdè tepidis, diutiùs protrahis, continuatis sanatam, aliosque arthriticos, rheumaticos iisdem sublevatos observavit. Limum laticis rubiginosum, undequaue depositum arguit Cl. MOREL (10) tamquam topicum, cum successu feliciore adhiberi posse tumoribus serosis, artubus distortis, tendinibus, & ligamentis laxatis.

- (1) L. c. p. 94. cui, ut sequentium plurimi, quoque accedit HERZOG *Elfsafische Chron.* L. II. c. 42.
- (2) L. c. p. 29. edit. Germ.
- (3) L. c. p. 87. edit. Germ.
- (4) *Histor. admirab. font. Bollens.* L. III. c. 41. p. 226. nec vestigium commemorationis hujus fontis in CASPAR. BAUHIN scriptis reperire potui, licet eum opusculi citandi p. 6. Cl. MOREL adleget.
- (5) M. D. & Practicus Thannæ multa cum celebritate vicens, *Bericht von dem Wattweiler-Wasser, Basel.* 1741. 8 edidit, & variis fictis principiis hanc aquam, & verba infarsit.
- (6) L. c. T. I p. 14. T. II. p. 96.
- (7) M. D. Anatom. Chirurg & Art. Obstetric. dexterrimus Colmaræ demonstrator *Analyse des Eaux minerales de Wattweiler à Colmar* 1765. 8. edidit, doleo aliquæ hujus opusculi, aliàs fat boni, ratiocinia, & conclusiones, imprimis chemicas, & alias obiter, conceptas, inductas, eo magis, quum sæpe producta, ut educta assumantur.
- (8) Clariss BACHER & MOREL.
- (9) FRID. HOFFMANN in suis egregiis scriptis passim, & præcipuè *Oper. Omn. Suppl. II. Part. I. p. 220. & sqq.* edit. Genev. 1753.
FLOYERS L. c. passim.
HAHN M. D. *Unterricht von Kraft, und Würckung des frischen Wassers...* Breslau 1754. 8.
- (10) L. c.

§. IX.

Latus utique, & fertilissimus mihi pro hac vice apertus erat campus differendi de aëre, & locis Alsatiæ, salubritate, & amoenitate florentibus, de peregrinatione, & rusticatione nostrorum ægrotorum, ut mediis totidem haud minùs necessario, ac variè ad eorum salutem optime facientibus, & aquarum mineralium medelam præfertim adjuvantibus. Multam quoque ad hæc, & aquas prolatas pertinentem, & malè multis solitam varii rationis farraginem, quam aliis, qui possibili, & imaginatione ludere amant, sponte, & lubentius relinquo, addere, cumulare faciliùs potuissim; & ne, actum egisse, limites disceptationis medicæ transgredi, videar repetendo illa, quæ ad omnium dictorum fontium usum particularem, hujus cautelas, diætas, & corporis motus necessario spectant, liceat mihi ad passim prolatos provocare authores, apud quos, quid agendum, aut evitandum sit, plerumque magis, minusve discussum, dijudicatumque reperire est. Addam, quod omnino singulis, & omnibus, modo fontibus medicatis uti velint, quam maximi interesse debeat, ut talem medicationem in se nunquam suscipiant, nisi prius optimo probi Medici consilio adjuti fuerint, cui pro singulari morbi varietate, & diverso uniuscujusque statu semper, & serio incumbit, modo hujus, aut illius fontis usum pro hac aut illa ratione solida rejicere, vel adprobare, ægrotis diætam, aliaque necessaria consulere, accommodare, statuere. Conamini juvenili, nova, & vetusta proferenti parcas B. L. enixè rogo, cogitesque mecum, modo meliora, magisque ad lubitum, & mentem tuam facientia non satis floride, & solidè exaraverim, sequentis gnomes finem:

*Cui nova sola placent, cui cuncta recentia sordent;
Sordet & in cunctis illius arbitrium.*

T A N T U M.

